This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

PUTEAN

D

615
.1
P98g
R

DE MEDICAMENTORVM

quomodocunque purgantium facultatibus, nuſquam anteà neque dictis, neque per ordinem digeſtis

LIBRI DVO.

PRIOR EAM FACVLTATEM, QVAE *à ſubſtantiarum ſimilitudine ſuccos trahere & purgare Medicis multis dicitur, ab omnium purgantium conſortio explodit.*

POSTERIOR EORVNDEM PVRGAN*tium omnium Medicamentorum veram & germanam rationem certa methodo atque ordine noſſe demonſtrat.*

AVTHORE
GVILIELMO PVTEANO
Medico Gratianopolitano.



Artis Medicæ litera occidit, ſpiritus verò ex multa lectione multos in eadem arte exercitio comparatus ægros ſanat curabiles.

LVGDVNI,
Apud Mathiam Bonhomme.
M. D. LII.
CVM PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD CENT[RAL]
BIBLIOTECA
DE LA FAC. DE MEDIC.

GVILIELMVS PVTEA-
NVS MEDICVS GRATIA-
NOPOLITANVS CANDI-
DO LECTORI
S.

UNIVERSIDAD CENT
BIBLIOTECA
DE LA FAC. DE MEDIC

EOS, QVI rei literariæ augendæ gratia, literarum monumentis aliquid lucubrationum ſuarum in lucem miſſum curârunt, in tria genera video eſſe diſtractos. Primũ eſt eorum, qui incredibili animi impetu ad optimarum rerum ſtudia amplectendæ noua quædam ſuperioribsuq; ſæculis inaudita & inuſitata inuenerunt, atque in abſtruſam naturæ cognitionem altiùs progreſſi, eorum quæ à populari ſenſu vulgariq; philoſophandi genere abhorrebant, cognitionem atque ſcientiam literarum monumentis conteſtatam reliquerunt. Alterum eorum, qui veritatis inueſtigandæ, & excolendæ gratia, quæ à veteribus in poſteritatem tranſmiſſa ſunt: aut quia non ſatis vera, aut ædita præmaturè viden-

tur melioribus commutant, vel latiùs & copioſiùs in-
terpretantur. Tertium eorum eſt, qui ex antiquorum
eorumq́; probatiſſimorum ſtudijs & lucubrationibus
vt bonis aliquid literis profuiſſe videantur, iucundo
quodam verborum concentu veluti allicientes, cento-
nes conſuunt, Rhapſodiasq́; conficiunt, & corniculæ Ho
ratianæ modo ornati alienis plumis incedunt. Quod
poſtremum genus tam hominibus doctis ſtudioſæq́; iu-
uentuti moleſtum eſt: quàm paſſim ac nimiùm hoc no-
ſtro tempore vſitatum, in quo vel illud vnum non ſo
lùm riſu, ſed etiam irriſione digniſſimum eſt, quòd im-
pudenter quidam ne dicam ſubdolè, aut malitioſè ad
inutilium rerum oſtentationem authoritate principum
abutuntur: illud ſatis eſſe putãtes, ſi eis in rebus & va-
nis, & frigidis humanæ dignitatis lumen præfulſerit:
qua ratione quæſtus cauſa bonas artes literasq́; impu-
denter proſtituunt. Cæterùm duo illa priora, bonis ar-
tibus atque ſcientijs neceſſaria ſunt: quorum pro noſtra
mediocritate veſtigia premere conati ſumus, non ſo-
lùm vt veterum Medicorum tam Græcorum quàm
Latinorum, aut Barbarorum laboribus aliquid antè
indictum adiungeremus, verùmetiã vt eorũ ſcripta,
quæ aliquibus in locis ancipiti fide lababant, nulloq́; vel
penitus confuſo ordine digeſta erant, emendaremus, at-
que ad certam ſincerámque rationem redigeremus.
Enimuero patrum auorumq́; noſtrorum memoria do-
ctorum in Græcis literis hominum præcipuum ſtudium
fuit,

ſuit, vt Græcorum ſcripta atque inuenta in latiũ transferrẽt, ac veluti Romana ciuitate donarent. Nunc verò poſtquàm Græci Latinis omnibus ita innotuerunt, familiaréſque diuturno vſu redditi ſunt, vt à pauciſsimis, niſi rudiſsimis ignorentur, bonarum artium ſtudioſi multò plus rationi & veritati, quàm hominum authoritati tribuẽtes, ad veritatis calculum Græcorum inuenta omnia reuocârunt. Quo factum eſt, vt omnibus diligenter excuſsis addenda multa, non pauca demenda, plurima corrigenda, melioriq́ ordini reſtituẽda inueniantur. Atque hæc ratio eſt, cur ætate noſtra viri docti non pauci in Galeni, aliorumq́ Medicorũ Græcorum commentarios congredi audeant, magnum quidem certamen auſi, ſed quod veritatis ſplendore ſummam vim, ſummumq́ robur obtineat, ſi probis certisq́ rationibus conferatur. Siquidem vetus illa paulatim dilabitur conſuetudo: qua in alterius verba iurare, humanámq́ fragilitatem inconcuſſæ perpetuæq́ rationi anteferre ſolebant. Quid enim turpius eſt magisq́ tardi ingenij, quàm nihil vnquam ex ſe promere, aliorumq́ aſſertiones ſæpius neque ſatis veras, neque ſibi conſtantes perpetuò imitari: à quibus ne tranſuerſum quidem vnguem recedas? Galenus licet Hippocratem tantoperè veneretur: ipſi tamen fidem plerumq́ non facit ſaltem vt teſti: vt quodam in loco idem Galenus refert, niſi quatenus apertam rationem afferenti. Sic mihi Galenum legenti, accuratiusq́ multis in lo-

*cis ſtudia ipſius expendenti ea diſciplinæ pars fortè oc-
currit, in qua Medicamentorum ſimplicium faculta-
tes certa methodo poſt hominum memoriam, primus
diligenti fœliciq́ ſtudio cognoſcere demõſtrauit: quam-
uis Ioannes Fernelius noſtra ætate Medicus longè do-
ctiſsimus illiùs hac in re non probet ſtudium. Porrò
Galenus in eorum Medicamentorum facultatibus
enarrandis, tum mihi grauiter hallucinatus fuiſſe vi-
detur, cùm de Medicamentorum quomodocumq́ pur-
gantium facultatibus diſſerit. Non tantùm quia eas
cõfuſo ſiue potiùs nullo ordine deſcripſit, verùmetiam
quando purgantium Medicamentorum, quæ per excel
lentiam pugare dicit, facultates docere conatur à to-
tius cuiuſpiam commentitiæ ſubſtantiarum ſimilitudi-
nis virtute effici: quod tam ſæpe inutiliter repetit: vt
lectori quamlibet duro faſtidium pariat, ob id maxi-
mè quòd purgatrices per excellentiam facultates com
mentitiæ illius ſubſtantiarum ſimilitudinis tenebris
obſcurare potiùs, altáque caligine circumfundere quàm
illuſtrare ſtudet, dum eas extra doctrinæ rationa-
lis conſortium ſiue confinia prorſus eliminat. Nos au-
tem contrà nec temere, nec ſine ratione, & ea quidem
perſpicua Medicamentorum purgantium omnium fa
cultates & ordine debito diſtinguemus, & rationali
methodo primi eorũ, qui à Galeno ad noſtra uſq; tẽpo-
ra ſcripſerunt omnium cognoſci poſſe demonſtrare co
nabimur. Et ſi certò ſcio hoc ſcribendi genus, in quo na-*

uum

uum quiddam & præter multorum hominum opinionem depromitur, non ſolùm lubricũ eſſe, verùmetiam & ab improborum calumnijs non tutum, verùm obtrectatorum maledictis à rebus præclaris & priùs non obſeruatis, ſiue non exploratis nemo abduci debet, & ſi viris doctis florentibusq; ingenijs propter laudis magnitudinem atque ſplendorem faciliùs incumbat inuidia. Nouiſsimè licet lectori bonarũ literarũ cupido nihil perinde gratũ eſſe poſsit, atque dictionis ſiue orationis perſpicuitas. Is tamẽ lector candide, noſter ſcribendi mos eſt, vt aſſertiones qualeſcumq; noſtras rationibus aliquando (moroſorum ſaltem lectorum quorumdam iudicio) plus iuſto diffuſis perſpicuitatis gratia demonſtrare ſoliti ſimus: timentes, ne ſi breues eſſe laboremus, obſcuri efficiamur: prolixitas ſiquidem ſi perſpicua ſit & non immodica ſtudioſæ iuuentuti obſcura breuitate & inuoluta, me iudice, multò eſt exiſtimanda conducibilior. Vale candide lector: & intereà appendicem tibi elaboramus aduerſus eos, qui cauſas temere omneis tam Medicas quàm Phyſicas abditas facere conantur. Iterum Vale.

Ex ædibus noſtris Gratianopolitanis anno ſalutis,

1551.

De purgantium medicamentorum nomine, et ratione: & cur tam obſcura, atque corrupta ſint ea, quæ de eorum natura, & facultatibus deſcribuntur.

CAP. I.

ETSI MEDIcamentum dictio eſt ambitus latiſsimi: Medicari tamē Hippocrati, vetuſtiſsimiſque medicis pro eo eſt vſurpatum authore Galeno, quod eſt, purgante vti medicamento. Ex quo facile eſt intelligere, quo in pretio antiquis medicis illis fuerit purgantium medicamentorum

vſus, apud quos Medicari nihil fuit aliud, quàm purgare. Noſtris verò temporibus propter acerbam Mortaliũ ingluuiem, quæ paulopoſt vetuſtiſsimorũ illorum tempora cœpit, magiſque in dies inualeſcit, factus eſt purgantium medicamentorum vſus, quàm ſuperioribus ætatibus multo magis neceſſarius, longeq́ue frequẽtior: vnde poſteriores multo plura, quàm priores medicamẽta purgantia inuenerunt. Poſtremi vero, quales magna ex parte fuerunt Arabes, propter eorum aſsiduã neceſsitatem, non tam multa, quàm clementer purgãtia, humanæ infirmitati parcentes, adiecerunt. Legenti autem mihi, & diligentius examinanti, quæ de medicamentorum purgantium natura, & vſu à Græcis, & Arabicis Medicis ad noſtra tempora peruenerũt, ea mihi viſa ſunt non ſolùm multùm confuſa, & obſcura, verùm etiam erroribus multis adulterata, atque corrupta: vt paulopoſt & rationibus multis, & virorum præſtantiſſimorũ teſtimonio elucebit. Cuius rei cauſam vnicam eſſe puto: quia quicquid de purgãtium medicamentorũ natura, viribúſque, & vſu, primus ille, & vnicus artis medicæ (ſaltẽ rationalis) author ſcripſit Hippocrates, id ipſum totum magno artis Medicæ malo: multis antè ſeculis, vel hominum periit culpa, vel temporum iniuria, & à noſtris deſideratur hominibus. Hippocratis enim liber, qui ab eo de medicamentis purgantibus eſt inſcriptus, iam olim apud Græcos non extitit: ſed eius ſola ſupereſt inſcriptio, cum breuibus quibuſdam clauſulis, mutilatis, atque truncatis. Quem librum à Galeno nunquàm viſum fuiſſe non ſine multis rationibus mihi perſuaſi. Primum, quia licet Gale-

nus

nus alios Hippocratis libros frequenter in teſtimonium afferat: eius tamen, in quo de medicamentis agitur purgantibus, nuſquàm in ſuis commẽtarijs meminit. Deinde, quia purgantium medicamentorum naturam tam obſcuram effecit, cum vt neminem hac in re fuiſſe imitatum perſpicuum ſit: potiſsimùm qui, in reliquis medicinæ theorematis, Hippocratis eruditionem clariſsimam exactè ſemper ſtuduerit imitari. Sobrius igitur, & obſcurus hac in medicamentorum purgantium natura explicanda fuit Galenus, quia hac in re Hippocratem ducem non habuit. Rurſus lib. j. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, pollicetur librum de compoſitione medicamentorum purgantium, quem ſuſpicor ab eo editum nunquàm fuiſſe. Cuius noſtræ ſuſpicionis cauſæ ſunt multæ, eæq; nõ inualidæ. Nam ipſe li. v I I I. de cõpoſitione medicamẽtorũ ſecundũ locos librũ eundẽ dicit eſſe poſtremũ operũ, quæ editurus erat. Poſt quem, ſi librũ de cõpoſitione purgantium medicamẽtorum (vt pollicitus fuerat) edidit: non fuit liber, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, poſtremus. Præterea, quia in ſuis commentarijs, Galenus ſuorum paſsim librorum rationes, & nomina ſolet inſerere: cùm tamen libri, de compoſitione purgantium medicamentorum (quem alibi pollicitus fuerat) nuſquàm meminerit: quin ne in commentarijs quidem, in quibus librorum ſuorum legendorum ordinem omnem præſcribit: vbi illius ſolùm meminit, quem de facultatibus purgantium medicammẽtorum contra Aſclepiadem inſcripſit. Solitus præterea eſt Galenus ratiocinando ſæpius ab inſtituto præcipuo ad

alios ſuos commentarios euagari, aut mutuæ affinitatis cauſa: aut doctrinæ apertioris: veluti à methodo therapeutica, ad ſimplicium medicamentorum facultates: vel contrà: Aliquando etiam ad temperamentorum libros, vel contrà: vt nulli eorum, qui frequenter eius cōmentarios perlegerint, non eſt notiſsimum. Qua vel vna ratione mirari ſubit, cur in ſimplicium medicamentorum commentarijs nihil omnino, vel certè intra modum ſobriè, de purgantium ſimplicium facultate meminerit: vt nec de Hippocratis libro eiuſdem nominis, conſiderata præſertim mutua ſimplicium cũ alijs purgantibus medicamentis affinitate, ipſorumque purgantium in medendo vtilitate. Nec eſt quod quis obijciat, Galenum, in ſimplicium medicamentorum commentarijs, eas modo facultates edocuiſſe, in quas rationis cadat interpretatio: non autem eas, quæ ſola experientia noſci poſſunt: qualis eſt purgatoria purgantium medicamentorum facultas (iuxta Galeni poſitionem) quam à tota putauit purgare ſubſtantia. Hanc enim obiectionem diluere facile eſt, ex ipſo Galeno, contrarium tradente, lib. XIIII. methodi therapeuticæ: vbi dicit, ſe, in cōmentarijs Therapeuticis, non quæ ſola experientia: ſed ea tantùm, quæ ratione demonſtrari poſſunt, docere. In ſimplicium autem medicamentorum facultatibus explicandis eum vtraque permiſcuiſſe, nempè quæ ratione, & quæ ſola experientia poſſunt cognoſci, veluti iam dictos commentarios legenti innoteſcit: ob eamq́; cauſam obiectio illa caſſa eſt. Mirantur quoque non pauci, cum, in ſimplicium medicamentorum facultatibus, multa Galenus doceat, quæ à totius ſubſtantiæ pro-

prietate

prietate operantur,quomodo purgantia medicamenta aſſerit operari,qua ratione nihil omnino:aut ſaltẽ minimum,in ſuis illis cõmentarijs de purgãtibus medicamẽtis tractauerit:de quorũ facultatibus ſpecialibus, nullo alio loco meminerit:etſi de eorũ generali facultate purgatrice,cõtra Aſclepiadem, & Eraſiſtratũ libellum vnũ emiſerit. Quodque me magis mouet, ipſe in ſecundum librum,de ratione victus acutorum, commentario XI. dicit,ſe in libris ſimplicium medicamentorum docuiſſe, quos humores ſimplicia medicamenta ſubducant: cùm in ijs de eorum viribus, hoc eſt, quos ſuccos purgent,nihil omnino dixerit: quod illos perlegenti licet intueri.Ex quibus veriſimile eſt,de purgantium medicamentorum viribus eum ideo tam ſpinosè, & implicatè ſcripſiſſe,quia Hippocratis libros, de purgãtibus medicamentis nunquam legit, neque ſanè videre potuit. Ad hæc quia medici Græci, Galeno poſteriores, quos Arabes magna ex parte ſunt imitati, & poſt eos Latinorum multi,præterquàm quod,in hac ſimplicium medicamentorum purgãtium ratiocinatione, nullam eorum rationem attulerunt, haudquaquàm in illorum tractanda facultate,& vſu inter ſe conſenſerunt. Quare conſentaneum eſſe videtur, hunc Galeni librum, quem(vt dixi)pollicitus fuerat,de compoſitione medicamentorum purgantium, poſteriores Græcos medicos nunquàm vidiſſe:ſicut nec Hippocratis librum, de purgantibus medicamentis: quorum ſi alterutrum vidiſſent, fieri non potuiſſet, vt tam varia, tamque pugnãtia de purgantium medicamentorum viribus prodidiſſent: qui in alijs medicæ artis aſſertionibus, veluti in

morborum cauſis, ſignis, atque præſagijs, adeoq́ue in eorum curãdorum Therapeutica methodo, Hippocratem, & Galenum, quoad eorum fuit, ſine magna diſſenſione ſunt inſecuti. Contrà vero in hac purgantium medicamentorum natura explicanda, tam diſsidentia, & repugnantia ſcribunt, vt eos nullius veſtigijs inſtitiſſe liquido conſtet, potiúſque, quod cuique viſum eſſet, id ipſum totum, vt verum, aſſeruiſſe. Siquidem, nullus poſteriorum, ſiue Græcorum, ſiue Arabum, cũ alio idem ſenſit. Scammonea enim Oribaſio bilem, & pituîtam purgat: Paulo, & Aëtio ſolam bilem. Colocynthis Aëtio pituîtam, & mucoſa. Oribaſio & Paulo bilem & pituîtam. Aloë Oribaſio bilem, & pituîtam: Paulo, & Aëtio bilem cum ſcybalis à ventre, & inteſtinis mouet. Polypodium Oribaſio pituîtam, bilem, & aquoſa: Aëtio bilem atram, & pituîtam. De quorum aliorúmque penè omnium purgatorijs facultatibus Galenus nihil ſcriptum reliquit. Ioannes quoque Meſuë, medicus Arabs, non pœnitendus, licet cæteris tam Græcis, quàm Arabicis omnibus, qui ab Hippocrate ad noſtra vſque tempora floruerũt, copioſius, & accuratius medicamentorum quomodocunque purgantiũ naturam, facultates, & vſum interpretatus fuerit: in multis tamen, temporum ſuorum culpa, ſæpè eſt hallucinatus. Quin etiam in reliquis medicamentis purgantibus nuper ab alijs enarratis, tam Græci, quàm Arabes, dum eorum facultates deſcribunt, adeo ſibi inuicẽ aduerſantur, vt facilè ſit intelligere, illos neque Hipocratem, neque Galenum in eo ſequutos fuiſſe. Galenus enim, quia idoneum quem hac in re imitare-
tur

tur authorem non habuit, pro purgantibus facultatibus explicandis, firmioris rationis loco ad caliginoſas, & cæcas, quas à totius ſubſtantiæ proprietate ſtatuit operari, facultates quaſdam confugit, eaſque dixit nulla ratione demonſtrari poſſe: ſed ſola experientia percipi, & comprehendi. Quocirca medici multi, Galeno poſteriores, ſuperiores illas facultates occultas nominauerunt, ſiue tacitas. Qua vna in re medicamẽtorum propriè purgantium ratiocinationem omnem denſiſsimis tenebris offuderunt: quas nos velut commentitias, atque vanas, à medicamentorum purgantium conſortio, pro noſtra parte, hoc libello depellemus, ac profligabimus: priuſquàm medicamentorum quomodocunque purgantium facultates verè purgatorias rationis luce illuſtrare aggrediamur.

GALENVM in eius, quam à tota dicit operari ſubſtantia, proprietatis expoſitione, & valdè obſcurum fuiſſe, & ſæpiſsimè ſibiipſi, atque Ariſtoteli repugnaſſe hoc quod ſequitur caput oſtendit.

CAP. II.

MVLTA eſſe in rerum natura, quæ mirabili quadam naturæ cõſenſione operẽtur, omnibus notum eſſe, atque confeſſum, exiſtimo: quæ omnia Galenus ſuo loquendi more à totius ſubſtantiæ proprietate, Philoſophorum & Medicorum omnium (ſi Petro Appono credimus) primus vnà cum Alexandro Aphrodiſ. ſibi contemporaneo

dixit operari. In cuius proprietatis natura interpre tanda ſicut impendio fuit obſcurus, ita multis in locis grauiter eſt hallucinatus. Ac obſcurus quidem quia diſputationem de hac re omnem, partim dictionum ho monymia, partim earum abuſione multiplici, obſcurauit: cûm hanc ſuam proprietatem modo dicat à tota ſubſtantia operari, modo à ſubſtantiarum qualitate: aliquando ab eſſentiarum ſimilitudine, ſæpius à qualitatum familiaritate, aut ſimilitudine, frequenter etiam à ſubſtãtiarum, ſiue qualitatum amicitia, vel inimicitia. Ex quibus liquido apparet, quàm obſcurus, & multiplex fuerit in illius proprietatis denominatione examinanda: qui ea etiam ratione obſcuritati ſtuduit, quod illiuſmodi proprietatem aſſerit nulla ratione demonſtrari: ſed ſola experientia poſſe cognoſci: quod falſum eſſe poſteà docebimus. Falſus eſt præterea Galenus non ſolûm quod Hippocratem plæriſque in locis obtorto (vt aiunt) collo pertraxit in ſuam inuitum ſententiam: verum etiam quod Ariſtoteli, & veritati non raro eſt aduerſatus, vt inferius, nõ abſque Theſeo, probabimus. Principio, Ariſtoteli videtur maximè repugnare, non modo quando omnes phyſicas tranſmutationes, ſed etiã medicamentorum facultates per excellẽtiam purgatorias ad hanc ſuam Philoſophis, & Medicis inauditam vetuſtioribus, proprietatem referre ſtuduit. Apertius etiam defecit ab Ariſtotele, qui in naturalium omniũ facultatum explanatione formam ſubſtantiæ efficientem à natura (ſaltem purè vegetabili) prorſus excluſit, quando eam in purè vegetabili ne agnoſcere quidem voluit: cùm tamen ab Ariſtotele ea ratione eadem ſubſtantialis

ſtantialis forma natura potiſsima dicatur: quia ipſa eſt primò, & per ſe, principium, & cauſa motus, eiúſque, in quo eſt, quietis omnis. Quę etſi ſenſu percipi nequeat, (vt inter omnes conſtat) ratione tamen tam eſt euidẽs, vt putauerit Ariſtoteles ridiculum, velle demonſtrare eſſe naturam. Quia igitur ſubſtantię efficiens forma prima eſt, & potiſsima natura, & cauſa primò, & per ſe omnis tranſmutationis phyſicę & quietis (eius ſaltem rei, in qua eſt) circa quas tota naturalis Philoſophia verſatur. Propterea, qui ſubſtantialem formam ignorat, principia vt etiam ſcientię naturalis ignoret neceſſe eſt. Quam tamen formam à Galeno non intellectam, aut certè in purè vegetabili non fuiſſe conſtitutam, multis in locis, monumenta eius declarauit. Primùm, quia lib. j. elementorum docet, materiam primam ortu, interitúque carere: quod autem in ea oritur, ac deſinit, qualitatẽ eſſe. Quin & dilucidius multo hoc ipſum oſtendit libro, quo animi mores docet ſequi temperaturam corporis, his verbis, De com- «
muni, inquit, omnium corporum conſtitutione men- «
tionem faciamus. Ex duobus enim principijs eam con «
ſtare oſtendimus: materia ſanè, quę intellectu quali- «
tatis ſit expers: Verùm in ſe quatuor qualitatum tem- «
periem cõtineat, calidi, frigidi, humidi, & ſicci. Ex qui- «
bus, neruus, os, caro, adeps, & planè omnia conſtant. Hęc ille. Quibus verbis alijſque locis non paucis clarum, manifeſtúmque eſſe poteſt, Galenum formam naturalem, potiſsimùm in purè vegetabili, non poſuiſſe. Propter quam ſuam hypotheſim multa, in Philoſophia naturali, & Medicina, non parũ abſurda, & cõtra

Ariſtotelem,ac veritatem in poſteritatem tranſmiſit:
veluti cùm tam frequẽter generationem cum altera-
tione confundit , qualitatémque aſſerit generare.
Quodque magis ineptum eſt, & Ariſtoteli magis re-
pugnans, cùm omnes, quę in corpore humano fiunt
tranſmutationes,qualitatum primarum temperamen
to adſcribit, idque lib.I.& III.facultatum naturalium
vbi Ariſtoteli contradicit: licet eum ad ſuam opinio-
nem firmandam,iiſdem libris, malè in teſtem afferat:
quem dicit lib.II.de ortu, & interitu,voluiſſe omnes,
quę in corpore fiunt,naturales tranſmutationes, à ca
" lido fieri,frigido,ſicco,& humido. Et pauloPoſt,qua-
" tuor in vniuerſum eſſe qualitates primas à quibus,
" quę ortum,interitûmque agnoſcunt, omnia gignun-
" tur,& intereunt:vbi, pręterquàm quod Ariſtotelem
falſo citat,plurimùm etiam à vero aberrat.Nam Ari
ſtoteles quidem libro ab eo citato,cap.IX. longè aliter
" ſentit:ait enim, neque verum eſſe elementorum affe-
" ctiones,calidum, frigidum,humidũ,& ſiccum: & reli
" quas, quæ ſecundum has operantur, & ad inuicẽ agũt,
" & patiũtur,eſſe efficiens præcipuũ, & per hoc omnia
" gigni, & interire. Hæc ille. Quam idem Ariſto. ſuam
" aſſertionem ſæpiùs repetit, vt videre eſt lib. II. de ani
" ma, cap.IIII. vbi docet,nutrimẽtum duobus ad nutrien
" dum parari: vno, vt à mouente non moto altero, vt à
" mouente, & moto. Paratur, inquit, nutrimentum, &
" decoquitur ab anima, vt primo mouente, & immo-
" to: & à calido. Decoctionem enim operatur calidum
" innatũ, vt mouens & motũ, virtutíſque principalis
" inſtrumentũ. Non putauit igitur Ariſtoteles tranſ-
mutationes

mutationes naturales (vt illi falſo imponit Galenus) in corpore à temperamento fieri qualitatum primarum, tanquàm à prima cauſa: ſed ſolùm ſecunda: vel inſtrumentali. Cuius rei analogiam affert lib. I I. de generatione animalium, cap. I. dicens, Licet ferrum calore, vel frigore induretur, vel emolliatur: ab arte tamen fit enſis. Ars enim principiũ eſt, & forma eius quod per eam fit: licet ipſa ſit in alio. Secus accidit de natura, quę non extra ſe, ſed intra, motus eſt principium. Quia igitur qualitatum primarũ temperatura in naturalibus tranſmutationibus, tanquam inſtrumentum, non tanquam principale agens concurrit: propterea precipuum agens, pręter inſtrumentum, in ijs tranſmutationibus concurrere eſt neceſſe: ſicut pręter ſerram, neceſſarium eſt ponere ſerra ſecantem: vt ipſe docet Ariſtoteles lib I I. de ortu, & interitu. Ex quo perſpicuũ eſſe arbitror, Galenum malè fuiſſe interpretatũ Ariſtotelis ſententiam, de phyſicarum tranſmutationum ratione. Neque vero ſe in naturę explicatione fuiſſe Hippocrati aduerſatum negare poteſt. Licet enim naturam Hippocrates multis modis interpretetur: libro tamen de Natura Humana, naturam potiſsimùm vſurpat pro temperamento qualitatum primarum, calidi, frigidi, humidi, & ſicci: quę ortus, & interitus primã vocat cauſam. Porro hanc naturę ſignificationẽ Galenus in I I I. Aphoriſmorũ, commento ſecundo dicit eſſe principalẽ, & maximè propriam. Cęterũ, ſibi apertè repugnans, varijs in locis contrariũ affirmare non eſt veritus. Naturam ſiquidẽ nihil aliud eſſe docet, quã ſubſtantiã quandam ex pri-

mis quatuor elementis,eorũ temperie refracta, reſultantẽ:quod apertè aſſerit lib.III.tẽperamentorũ.Sanè „ inquit,naturã cùm dico,vniuerſam ſubſtantiã, ac temperiem, quę ex primis conflatur elementis, ſignifico, calido,frigido, humido, & ſicco. Eſt igitur Galeni natura,ſubſtantia tota, veluti planta, caro,neruus. Quę omnia non ſolũ Phyſico, ſed etiã Medico valde ſunt abſurda. Nam Ariſtoteles II lib. Phyſicorum, cap.j. hęc omnia mixta,non naturas eſſe:ſed à natura,demõſtrat. Ex ſuperioribus igitur,& ijs, quę poſteà conſequẽtur, conficitur,Galenum, vt ſuam de proprietatũ à tota ſubſtãtia operantiũ opinionẽ firmaret,albo (vt eſt in prouerbio) coruo fuiſſe ſimilẽ, quando neque cũ Hippocrate, neque cum Ariſtotele conuenit, ea potiſsimũ in re, in qua actionũ naturaliũ cauſas,contra eorũ ſententiam,ad has ſuas (quę à tota ſecundum eum,operari dicuntur ſubſtantia) proprietates reducit, multis in locis potiſsimè.lib.III. ſimpliciũ medicamentorũ, cap. v. vbi vult rebus omnibus amicitias quaſdã, & inimicitias qualitatũ ineſſe: quodque amicũ & familiare eſt,facilè adſimilari:quod autem repugnãs & inimicũ ad interitum perducere tum animantia tum plantas. Quo in loco Galenus vt philoſophię peripateticæ licẽtius alterius & p̃ſidio aduerſari poſſet,furtim ſubſcribit Empedoclis placitis,licet multo ante Galeni tempora Ariſtoteli alijſque philoſophis Empedocles poſterioribus dannatis & confutatis. Poſuit enim Empedocles quatuor prima elementa ſimplicia,rerũ Materias & amicitiã ſiue inimicitiã (quã litẽ vocabat) vnà cũ elementarijs qualitatibus rerum naturalium

naturaliũ efficientia principia. Simile igitur exiſtimauit Galenus aſſerens amicitias ſiue inimicitias cũ qualitatibus primis & ſecũdis rerũ naturæ prima eſſe principia efficientia, vt loco prius citato latius interpretatur: & lib. de facultatibus naturalibus. Qui principia vt obſcura & non intelligibilia redderet, voluit ipſa, hec eſt amicitiã ſiue repugnantiã aut inimicitiã à totius ſubſtantiæ quadã proprietate, occulta, & nulla ratione demonſtrabili operari, hac in re ab Empedoclis opinione recedẽdo. Quę omnia, vt Ariſtoteli obluctantur, ita in Philoſophię Ariſtotelicę odiũ dicta videntur: ob id maximè, quia paulopoſt tyrones Medicos à ſtudio Phyſico dehortatur, & deterret lib. I. ſimpliciũ medicamentorũ, cap. XXIIII. quo in loco Medicis prohibet exploratioñẽ ſimplicis medicamenti «
procul ordiri: ne in naturalia (inquit) problemata in- «
cidant: quę non leuibus ſunt intricata ambiguitatibus. Hac ipſa ratione paulopoſt medicos hortatur à Phyſicis theorematis recedere, quę innumeris ſunt dubitationibus inuoluta. Quę aſſertio non poteſt eſſe Medicis non noxia. Nam ſimili argumẽto poſſet nouitios medicos à dialectico ſtudio reuocare: in quo nõ paucę, nec parũm diſſentientes ambiguitates occurrunt: alio etiam argumẽto videtur velle Galenus, Philoſophiam naturalem à ſtudio medico reijciendam: cùm inquit lib. III. ſimplicis medicinę, cap. IIII. ferèque alibi paſ- «
ſim Philoſophorum verba decipere Medicos, aliaque ſimilia non pauca in odium Philoſophię naturalis, ab eo dicuntur, tametſi Ariſtotelem magnis interdum extollat laudibus. Sed non ignorauit Galenus, alium

eſſe Medici ſcopum, alium Phyſici. Hic namque ſcire deſiderat, & contemplari: quia ſcientia naturalis in contemplatione ſola conſiſtit, & à Grȩcis θεωρητικὴ dicitur medicina contra: quia de rebus agendis conſultat, & eſt lectioni obnoxia: ideo in agendo ſita eſt, atque πρακτικὴ nominatur. Medicus enim non quȩrit, quale ſuapte natura ſit medicamentum, vt multis locis Galenus admonet: ſed quid, in corpus humanum, temperatum agat: hoc eſt, vtrum corpori humano debitè admotum, ipſum calfaciat, refrigeret, humectet, vel ſiccet. Phyſicus contra: quale ſimplex ſit medicamentum, ſiue ens mobile quȩrit: calidum ſcilicet, vel frigidum: humidũ, vel ſiccum. Nanq; hîc vel abſolutè, vel per exuperationem ſimpliciter, conſiderat: ille per relationem ad corpus humanum. Salamandra enim, ſiue Papauer Phyſico per exuperationem calida ſunt quia creſcunt, & maturantur: & hȩc fiunt à calido in omni vegetabili functione prȩdominante, vt ſentit Ariſtoteles in libro, de ſenſu, & ſenſ. At vero Medico hȩc ipſa, ratione diuerſa, dicuntur frigida: quia humano corpori temperato debitè admota ipſum refrigerant. Non igitur Medicus verbis Philoſophorum decipi debet, à quorum principijs ſanitatis, & ȩgritudinis cauſȩ ſunt accerſendæ, vt alicubi ſcripſit Ariſtoteles: Quid plura? Quantitatem conſiderant, Dialecticus, Phyſicus, Medicus, Mathematicus, & Metaphyſicus: varijs tamen ſinguli rationibus. Dialecticus enim quantitatis habet rationem, vt Categoria eſt de alio enuncians. Phyſicus vt motui per formam & materiam eſt obnoxia. Nam phyſica conſideratio, vt ſimi

eſt

eſt ſicut accepimus ab Ariſtotele, in prima Philoſophia hoc eſt, naſi curui. Metaphyſica, ſolius eſt curui. Medicus autem hoc ipſum, id eſt, quantitatem, vt ſeparatam ait coniunctam, hoc eſt tam diſcretam (vt aiunt) quàm continuam: tam in victus, quàm morborum, aut remediorum ratione imaginatur: quam conſiderationem Galenus lib. 1. ad Glauconem, omnium ſtatuit difficilimam. Metaphyſicus item illam ipſam quantitatem, vt à materia ſeiunctá diſpicit. Mathematicus eam in menſura, aut non menſura collocat. Quocirca delirus medicus eſſet, ſi quantitaté vt Dialecticus, aut Phyſicus, vel Metaphyſicus interpretaretur. Quibus ex rationibus colligitur, Philoſophorum verba Medicum non poſſe fallere: immo è diuerſo, ad Medicinæ principia ſanè intelligenda inſtruere. Quare Galenus à luce Peripatetica malè, plurimis in locis deſciuit, vt ad proprietatum obſcuritatem, quæ nulla luce illuſtrari poſſet, præuaricabundè confugeret.

De formarum ſubſtantialium ratione, & differentia.

CAP. III.

EXISTIMAVIT ergo Ariſtoteles, naturalem tranſmutationem omnem effici à forma ſubſtantiali eius rei, in qua eſt: veluti à cauſa, & principio primo, & per ſe mouente & immoto atque ab eiuſdem formę, aut potius rei, quam forma conſtituit, temperamento, tanquam à cauſa inſtrumentali, & immediata mouente & mota. Medici vero,

& Philoſophi aliquot Ariſtotele poſteriores huiuſmo di tranſmutationum naturalium cauſas primas, non, vt Ariſtoteles, ad formas ſubſtãtiales: ſed potius ad for mas accidentarias, hoc eſt, ad primarum qualitatum temperamenta referunt. Horum primus fuit Galenus: quod lib. III. ſimplicis medicinæ, cap. III. & alibi ſæpiſ ſimè, licet videre. Quæ poſitio non paucos, neq; obſcuros olim habuit aſſertores, contra Ariſtotelis, & veritatis cenſuram. Adhęc etiam præter qualitatum temperamenta, idem Galenus libro III. ſimplicis medicinę, cap. VI. & lib. III. temperamentorum, loco formarum ſubſtãtialium, pro actionum Phyſicarum efficiẽte cauſa amicitias quaſdã mutuas adiunxit: inimicicias item, aut proprietates (de quibus paulo antè agebamus) quas ſolitus eſt dicere, à tota operari ſubſtantia, neq; præter eas aliquam fieri poſſe tranſmutationẽ, ſubſtantię procreatricẽ, ſibi potuit perſuadere. Quapropter is, cum ſuis ſubſcriptoribus, Philoſophiam naturalẽ omnem, non ſolùm Medicinam, profundiſsimis tenebris obſcurauit, vt ex ſequentibus apparebit. Veruntamen, quia qui Galeno hac in re ſubſcribunt ſua placita, nulla volunt ratione fulciri, fit, vt ijs non facilè cedant rationibus, per quas illorum placita vel minimo negotio labefactari, conuellíque poſsint. Solent enim, qui tot, tamq́ue caliginoſas inducunt proprietates, rationes quaſcunque ſuis inſtitutis cõtrarias reijcere, commentitiæ cuiuſpiam, atque adeo chimærinæ proprietatis, ſuæq́ue ſimilitudinis figmento, veluti clypeo Aiacis ſeptemplici, ſuam defendere poſitionem. Sibi namq; in animum induxerunt, ſatis eſſe, ſi hoc, vel illud (quauis

uis alia veriori ratione neglecta) fieri à proprietate occulta: ſiue à totius ſubſtãtiæ, hominibus ignota, ſimilitudine, affirmârint. Atqui maximè abſurdum, alienumque eſt à Phyſico (ſi quid fidei habetur ijs, quæ lib. VIII. phyſicorum, cap. II. prodita ſunt) eorũ, quæ naturalis ſunt diſciplinæ (cuius ſpecies Medicina eſſe creditur, quòd à Philoſophia naturali ſua ſumat principia) aliqua ſine ratione proponere. Quoniam nihil eſt in omni rerum natura (vt eo loco docet Ariſtoteles) quod ratione, debitóue ordine careat. Certum tamen eſt mihi quod & Ariſtoteles dicere ſolitus erat, ſolidum aut ſupra captũ humanũ eſſe, velle omnium rationem reddere: Iniquum nihilominus eſt, & diſciplinis potiſsimũ naturalibus vehementer pernicioſum reddere cauſas, quę ratione aliqua poſſunt demonſtrari, abditas facere conari: vt alibi Deo duce fuſius proſequemur. Itaque, pro ingenij noſtri mediocritate, hac diſputatione, latebroſas illas proprietates, à Galeno ſine vlla ratione potiſsimùm in medicamentis propriè purgãtibus fabricatas, ad rationalis cuiuſpiam methodi ordinem, argumentis tum Phyſicis, tum Medicis reuocare conabimur. In primis igitur ab eius, quæ, ſecundum Philoſophos penè omnes, operationum Phyſicarum prima, eſt cauſa formæ ſubſtantialis, ratione explicanda, noſtram de proprietatum à tota ſubſtantia operantium ratione diſputationem exordiemur. In qua primùm illud proponimus: formã ſubſtantialem omnem (ſaltem vitalem, quæ peculiari Ariſtotelis loquendi modo, anima dicitur) eſſe actum primum

naturalis corporis, principiũ, & per ſe cauſam in corpore viuente omnium, quæ in eo primò, & per ſe fiũt, naturalium tranſmutationum. Et quia eæ formæ ſenſibus noſtris ſunt abditę, neque percipi poſſunt, ideo neque definiri poſſunt, neque demonſtrari, niſi per earum functiones, ſiue opera, quę cadunt ſub noſtros ſenſus. Sicut igitur ſubſtantialis forma ſenſu comprehendi non poteſt: ſic ab elementorum qualitatis compote temperatura, quę ſenſibus obuia eſt, immediatè produci non poteſt in materia: actione ſaltem vniuoca. Sed ab extrinſeco, enti in potentia, id eſt, materię primæ aduenit. Elementares enim qualitates, etſi neceſſariò præuiæ requirantur ad prioris formæ ſubſtantialis interitum, poſteriorisque productionem: hanc tamen præſtare nequeunt. Quia (vteſt in axiomate Phyſico) nihil vltra ſuam ſpeciem, poteſt quicquam producere: alioqui agens naturale communicãs etiam in materia cum eo, quod patitur, in agendo non inſtitueret illud ipſum, quod patitur, ſibi adſimilare: quòd apertè falsũ aſt. Prętereà ratio Phyſica apertè docet, actiones eſſe contrariorum, quę ſub eadem Categoria ab Ariſtotele, & à Galeno reponũtur: modò qualitas, & ſubſtantia ſub diuerſis reponuntur Categorijs: & ea de cauſa qualitates elementarię formam ſubſtantialem (etſi hæc ſubſtantia ſit incompleta) producendi uim nullam habent. Neq; materia prima eam producet: quę ſuapte natura potentia ſit ſimplex, & agendi facultatis nullius. Non etiam forma, quæ corrumpitur, formam ſubſtantialem producet, cùm ſit formę

produ-

producendę contraria: pręſertim Phyſica cõtrarieta-
te. Nihil enim (ut ſentit Ariſtoteles, primo Phyſico-
rum) à ſuo contrario (præſertim vniuocè) produci po
teſt. Neque verò forma, quę editur, cùm nondum ſit, “
ſeipſam poteſt emittere. Nam ex non ſubſtantijs, au- “
thore Ariſtotele li. II. de generatione animaliũ, ca. II.
nõ fit ſubſtãtia. Hinc igitur colligi poteſt, illud ipſum
quod primò, & ſua ipſius vi in formę ſubſtãtialis pro-
ductione mouetur, enti, quod producitur, eſſe prorſus
extrinſecum, ab eoque remotum: quod ſenſit Ariſto-
teles multis in locis. Nihil ergo primò, & per ſe, ad for
marum ſubſtantialium ortum concurrere arbitrer:
pręter ſtellarum uirtutem: quę etiam videtur Ariſto-
telis eſſe ſententia, libri X. Problemate XIII. & Petri “
Aponi, eius loci interpretis: eiuſdemque differentia “
LXXI. Ariſtoteli etiam lib. II. de generatione anima- “
lium hoc ipſum traditur apertiùs: Seminis in calore, “
inquit, potentia eſt ad formam: qui neque igneus, ne- “
que elementaris, ſed ſpiritualis eſt in ſemine, ſpumo- “
ſoque corpore contentus, & natura, quę proportione “
reſpondet elemento ſtellarum. Hęc ille. Et lib. II. de or “
tu, & interitu, docet, ſyderum virtutem, eorum pręſer
tim quę ſub obliquo demeant circulo, primò concur-
rere ad formarum productionem: vnde & ſubſtantia-
lis forma, ſiue vitæ huic circulo zodiaci, vitale nomen
dedit. Neque hęc eſt cauſa (quemadmodum plerique
ſibi confinxerunt) quòd certas animalium effigies re-
ferre videatur: ſed, quòd vita omnis caduca ab eo per
formę ſubſtantialis creationem primam ducit origi-
nem. Formas igitur ſubſtantiales omnes, cœleſtem

quandam originem habere ſatis dęmonſtratum eſſe arbitror. Formę pręterea ſubſtãtiales in duplici ſunt differentia. Quędam etenim vitales ea ratione dicuntur: quia cùm reuera animę ſint, quandiu terreo corpori connectuntur, vitam ſibi ſemper habent comitem. Quandoquidem nihil aliud eſt vita, quàm animę prima functio. Quę formę rurſus in tres diſtribuuntur ſpecies: vegetabilem, ſentientem, rationis participem: quibus hęc tria reſpondent, planta, brutum, homo. Plantæ autem forma ſubſtantialis (ſi familiarem Ariſtotelis phraſim ſequamur) non minùs anima dici debet, quàm animalium. Neque Galeno id genus loquendi Ariſtotelicum refugienti eſt inhærendũ: cùm plantam animatam dicamus, licet nõdum ſit animal. Sed hæc vegetabilis duabus alijs, ſenſitiuæ, & rationis capaci ſubijcitur: atque cum eis nonnihil habet commune. Quapropter eò noſtra redit oratio. Hæc igitur qualiſcunque anima, cœleſti, & viuifico influxu, demiſſo per elementarem regionem (vt paulò antè declarauimus) lationibus ſuperioribus contiguam in hæc inferiora, & tęrrea cœlitus demittitur per rationes longè diſsimiles. Nam in plantis, & animantibus imperfectioribus ſufficit ſtellarum virtus vniuerſalis, citra producentem alium particularem ad informãdam elementorum certam, & quaſi ad perpẽdiculum præſcriptam mixtionem: quam Ariſtoteles materiam putrem vocat. Sic enim vermes, muſcæ, pulices, aliáue animalia imperfecta humi, vel in aëre gignuntur citra particularem genitorem. Simile de plantis imperfectis dicendum exiſtimamus. Secus multò accidit in vegetabilibus

tabilibus perfectis, ſiue animantibus, ſiue ſtirpibus, quę præter cœleſtem, & vniuerſalem influxum aliquo externo, & particulari vegetabili producente egẽt, quod gignat per ſeminis emiſsionem. Atque huius ſunt generis, homo, ſaltem externus, leo, bos, oliua, pomus, quia perfecta vegetabilia producuntur. Hinc ea ducitur ratio Ariſtotelis: hominem, & Solem gignere hominem " externum dicentis. Porrò homo internus, mens humana, quæ ad Dei facta eſt imaginem ſecundum literas ſacras: (idque ſenſiſſe Ariſtoteles videtur lib. II. de generatione animalium) originem habet non modò cœleſtem, ſed & prorſus diuinã. Vnde ſicut ex quibus conſtamus, ijs nutrimur: ſic exempli gratia homo: qui, vt internus eſt, cibo ſiue pane nutritur ſupercœleſti, diuino, ſiue ſuperſubſtantiali, quem à cõditore ſuo ſupramundano obnixis precibus petit ſibi dari quotidie: vt homo externus eſt contrà: qui de terra per cœleſtem influxum figuratus eſt (licet Macrobius dicat eum non eſſe verum hominem, qui digito poſsit mõſtrari) terreſtri cibo, ſiue pane alitur. Non tamen hinc inferri velim, hominem internum, & externum re ipſa duos eſſe homines, ſed vnum, & eundem hominem diuerſis præditum naturis, vegetabili, mouente, & rationis compote. Hæc fuſiùs interpretatur Ariſtoteles in libris de anima. Hactenus de ijs formis, quæ vitam ſibi comitem habent. Nunc ad eas ſubſtantiales veniamus, quæ nullius vitæ ſunt participes: quales ſunt elementorum formæ, mineralium, & cæterorum quæ vitalis formæ ſunt expertia. Huiuſmodi ſunt, oſſa, ſanguis, adeps, à corporibus animalium ſemota, & mor-

tuorum animalium cadauera. Itē, radices, folia planta rum reſecatarum, & ſemina à ſuis truncis ſeparata, & exiccata, quamuis & hæc ſæpius potentiæ etiā vegeta bilis nō ſint omnino expertia. Huius generis etiam eſt materia penè omnis, qua vtuntur Medici in actu practico: veluti ſunt Aloë, Agaricū, Rhabarbarum, quorū formæ ſubſtantiales ſunt, nō vitales. Conueniūt igi tur forma ſubſtantialis vitalis & non vitalis: primò: quia vtraque dat eſſe, nomenque rei, quā cōſtituit. Ex aëre enim, qualitatum primarum auxilio, per formæ ſubſtantialis, non vitalis aduentum fit ignis, perinde atque ex ſemine, earum qualitatum ope, formæque vitalis, planta conficitur. Conueniunt prætereà: quia vtraque originem (vt volunt) habet cæleſtem, Rurſus quia vtraque primò, & per ſe cauſa eſt, & hęc principium actionum omnium naturalium eius rei, quam conſtituunt. Differunt autem: omnis ſiquidem for ma vitalis, calidum habet innatum, ſiue à natura inſitum temperamentum, quo, vt inſtrumento, in omni naturali functione vtitur. At contrà in forma ſubſtantiali, non vitali accidit, quę calido caret innato, ſiue temperamēto viuifico: quare purè elemētario huius loco, vti tur temperamento, tanquàm inſtrumento, cuius pręſidio ſuas omnes perficit operationes. Huiuſmodi ſunt veratri, agarici radices à ſuis trūcis ſemotę, ſagapenū, atque alia hoc genus animę vegetabilis omnino exper tia mixta naturalia. Pręterea differunt: quia functio vi talis formę calore Solis cōfirmatur: qui ſi ad nos accedat, vegetabile omne vires ſumit, augetur, & vegetius fit. Aliter accidit rebus naturalibus nō animatis: quę,

ſi patre-

ſi putredini fuerint obnoxię, propter humidi, aquei ſuper ſiccum terreum dominium, facilè ſolari putrēt calore, tantum abeſt vt eodem foueantur, aut fiant vegetiores. Quod ſatis liquet in prunis, ceraſis, peponibus, & cucurbitis, quę quandiu à planta, qua adhuc fouentur, pendent, Solis ęſtu vegetantur, fouentur, augētur, ad maturitatem perueniunt, denique incorrupta aliquo tempore ſeruantur. Sin autem à ſuo vegetabili corpore, ſiue per extirpationem, ſiue reciſionem ſeparentur, illo ipſo Sole agente citò putreſcunt, & corrũpentur. Poſtremò differunt dictę formę: quia calor elementaris, ſiue igneus cùm exuperat, in vegetabili natura corruptionem operatur. Non negârim tamē ea per accidens fieri: quando ſcilicet feruor ille calidum innatum, cui aduerſatur, corrumpit, & abſumit. Quod quidem in febribus, & tabe, tam animantiũ, quàm plantarum, alijſque ſimilibus diſpoſitionibus, eſt cognitu facillimum. Atqui hic calor igneus, etiamſi intrinſecùs fuerit vehementior, corporibus minimè vitalibus innoxius eſt. Colocynthis enim, thapſia, veratrũ, & ſimilia plurimùm acria, donec formam retinēt ſubſtantialem, vitalem, & vegetabilem, quamuis à ſuo primo ortu ſint maximè ignea, nihil tamen damni infertur eis à calore illo ſupremo ob humidi, quo plantæ nutriũtur, abundantiam, quę caloris ignei vehementem actionē reprimit. Verùm eadem vegetabilia acria, poſteaquàm à vitali forma, & ſucco nutriente ſunt deſtituta, ab ambiente aëre facilè ſiccantur: ut qui in iſs inerat igneus calor, vehementiùs intendatur. Atque plantę quidem vbi exaruerunt, formaque vegetabili ſunt deſtitutę,

idem ille igneus calor nullam prorſus illis nocendi vim habet. Itaque forma nulla ſubſtantialis rerum naturalium, non vegetabilium calido innato in ſuis functionibus naturalibus vtitur, quaſi inſtrumento: veluti paulò ante dicebamus: vt ſunt formę Rhabarbarę, vel radicis mandragora ſuis truncis reciſorum: ſed qualitatũ primarum apto, commodóque temperamento. Quod fuerat demonſtrandum. Ex quibus facilè innoteſcit diſcrimen formarum ſubſtantiam conſtituentium, vitęque participum, atque expertium.

De formarum artificialium ratione, & multiplici differentia.

CAP. IIII.

NVNC reliquum eſt, nobis vt de formis artificialibus diſſeramus: cùm propter ſimilitudinem, quam habent cum eſſentię procreatricibus formis: tum propter frequentem earum in morbis curandis vſum. Similes quidem ſunt ratione aliqua, ſubſtantialis forma, & quæ ab arte proficiſcitur: ſiquidem vtraque rem, in qua ineſt, ſuo nomine exprimit. Nam vt forma ſubſtantialis rei naturam conſtituit, eique ſubſtantię perfectę nomen imponit: ſic artificialis forma rem, in qua ineſt, denotat artificialem, eique ex arte conſtantem naturã tribuit. Conſentiũt pręterea, quia vtraque ab externo producitur. Artificialis ab externo artifice: ſubſtantialis ab externo agente. Hęc latiùs capite ſuperiori expoſuimus.

mus. Conueniũt poſtremò, quia vtraq; ad aliquẽ finẽ refertur. Vnde & Phyſicus, & artifex (ſi Ariſtotelem ſequimur) à fine, quem vterq; ſibi proponit, ſuas definitiones deducunt. Differunt tamen ſubſtantialis forma & artificialis: illa enim eſſentia eſt (ſaltẽ imperfecta) quæ completam ſubſtantiam, atq; perfectã componit. Hæc verò prorſus eſt accidentaria: quę nõ ſimplicem quidem naturam, ſed accidentariam, artificialemque conſtituit. Diſcrepant etiam, quia rei ſubſtantialis forma concurrit, vt primùm, & ſua vi mouens, non motum, in functionibus, actionibusque naturæ, rei verò artificialis forma ſolùm-modò vt agens inſtrumentale, mouens, & motum. Sicut clauis, quia res artificialis eſt, à primo mouente, hoc eſt, aperiente, vel claudente mouetur, & mota ipſa ianuam per formam artificialem mouet, hoc eſt, aperit, vel claudit: æquè de reliquis artificialibus, quæ in multiplici ſunt differentia, eſt concludendum. Rurſus harum quædam fiunt per ſolam materiæ ſubiectæ, ex qua artificialia fiunt, detractationem: veluti cùm ex ligno ab artifice fit ſcamnum: ex trunco ficulneo fit hortorum deus Priapus. Alię per materię ſubiectæ variam figurationem, ueluti ex cera, imaginem, & candelam ceream: ex filo telam fieri videmus. Atque hæ duę priores ſpecies in quarta ſede qualitatis reponuntur. Ad-hæc ſunt aliæ artificiales formę, quę ex verè Phyſica mixtione ab artificio manante fiunt: qualis eſt oxycrati, vel hydromelitos artificialis forma, quæ omnino alia eſt à formis proprijs eorum, quę miſcentur in ipſis, ſiue ſubſtantificis ſiue accidentarijs modò per ſe cõſi-

deratis. Nonnullę ſunt prętereà, quę non ex uera mixtione, ſed copioſa rerũ ſimplicium naturalium compoſitione, vel circumpoſitione reſultant: veluti quando ex multis medicamentis ſimplicibus fit compoſitio artificialis, qualis eſt hierę picrę: cuius ab arte profecta forma, per quam, ceu per inſtrumentum, operatur, nihil aliud eſt, quàm accidẽtarium quoddam temperamentum conſtans ex ſimplicium medicamentorum, ex quibus componitur, qualitatibus repreſsis, & ſimul in vnam formam artificialem ex ijs prouenientem inter ſe actione mutua redactis. Conſenſum ergo in ſeipſis, conuenientiamque habent quandam formę artificiales cum formis ſubſtantificis rerum ex quibus fiunt: quia ſubſtantiales formæ omnes rerum ſimplicium, ex quibus conficiuntur ea, quæ ex artis pręceptis conflantur, integræ manent in re, quæ artificio conſtat: conſeruantur etiam primæ, & ſecundę eorũdem ſimplicium qualitates, & ſi quid eorum, quæ in iſtiuſmodi qualitatibus excellẽtiora ſunt, retundatur adeò, vt prorſus alia à ſimplicium aut rerum, aut medicamentorum qualitatibus ſeparatè perpenſis forma artificialis, ſiue accidentaria ex ſimul temperatis qualitatibus ſimplicibus inducatur. Quare in formis artificialibus (de quibus poſtremò diximus) hoc eſt, quæ vel per veram fiunt mixtionem, vel per compoſitionem accidentales formæ ſubiectorum, vnde res ab arte producta oritur, artificio reprimuntur à ſuis potentijs excellentioribus, vt tẽdem in vnum temperamentum artificiale conſpirent. Quam formam artificialẽ vocamus, per quam ſubſtantiales formæ ſubie-

ctorum

ctorum ex quibus res dependens ex arte efficitur, tan quàm per inſtrumentum, operantur. Sicut enim abſynthio natura compoſito medicamento, licet ſenſui ſimplex appareat, quædam ineſt pars terrea, nullo calore ſubacta, quæ adſtringit, & roborat. Quædam nõ modico calore elaborata, & amara facta: iccircò ventrem detergendo purgat. Quædam omnino vſta, & acris, quæ pro acrimoniæ ratione, & quantitate incîdit, atque vrinas ciet. Quædam denique aërea, quæ ſolari perfuſa calore odora eſt, & roborans. Quas ſimul omnes innata quædam humiditas continet, atque deſinit. Eædem confuſæ, mixtæ, & reciprocè contemperatæ efficiunt, vt forma ſubſtantialis ſuperueniẽs abſynthio vim, naturamq́ue conſtituat, quibus forma eiuſdem abſynthij ſubſtantiali primo mouente à varijs eius qualitatibus, non artificialibus, ſed naturalibus, ſimul adſtringit, roborat, incîdit, detergit, aluum deijcit, & urinas mouet: ſic artifex, qui optimam ducem naturam, quoad fieri poteſt, imitari labo rat, arte ſua ad medicamenti naturalis ſimilitudinem pharmacum artificiale componit. Ex cinnamomo enim, azaro, ligno aloës, & ſpica ſimplicibus medicamentis calidis, incidentibus, & extenuantibus, atque odore ſuo grato ventriculũ roborantibus: croco etiã, chia, maſtice, æquè odoriferis, & adſtringentibus, & aloë in ſextupla portione ad prædicta omnia, fit artificiale medicamentum multa ſua amaritudine ventrem detergens, deijciens, & aliqua demum aſtrictione con firmans. Ex illis, inquam, omnibus vnà cum melle, vel ſine eo, ſimul confuſis fit medicamentum compo-

ſitum,& artificiale,quod ab eius excellentia, & ſapore ἱερὰ πικρὰ à græcis dicitur,quæ contenta in ventriculo,& inteſtinis,craſſa incidendo,extenuando, roborando ventrem, deijciendo purgat, per ſimpliciũ medicamentorum,quæ ſubſtantiales formas in compoſitione ſibi ſemper adſeruant cõpoſitionẽ tanquàm per primùm,& per ſe mouentes,atque per formam artificialem ita (ſicut pauló-ante docuimus) reſultantem, ceu per cauſam inſtrumentalem ſiue accidentariam, & immediatam. Accidit tamen interdum, vt medicamenti alicuius ex arte confecti artificialis forma nihil omnino operetur eorum,quæ ſimplicia medicamenta illud producentia præſtare ſua natura poſſent. Conſideremus hac in parte medicamentum artificiale ſarcoticum,quod in Galen.lib.III. methodi therapeuticæ videre licet. Hoc ex erugine, cera,& oleo ſimul mixtis componitur: quorum vnumquodque gignendæ carni penitus aduerſatur,tantùm abeſt,vt aliquod eorum ſit ſarcoticum. Totum tamen medicamentum ijs tribus conſtans eſt ſarcoticum: cuius rei cauſa facilis eſt:quia ſæpenumerò vſuuenit,vt eorum, quæ miſceri poſſunt,qualitates mutua ſe reprimant actione, atque moderentur,vt inde formam artificialem adipiſcantur longè diuerſam à ſeparatis cuiuſque qualitatibus. Itaque nihil à ratione alienum videri debet,medicamenta compoſita ea efficere immediatè,quæ per ſimplicium formas præſtari minimè potuerant.

De

De proprietatum à tota: (Secundùm Galenum,) ſubſtantia operantium ratione viribus, & varia denominatione.

CAP. V.

POſteaquàm naturalium formarum,& artificialium primas, & præcipuas cauſas explicuimus: reliquum eſſe duxi,vt de proprietatibus illis, quas Galenus ſuo more à tota dicit operari ſubſtantia,diſſeramus. Dicimus igitur in primis, vegetabilia omnia, ſiue animalia,ſiue plantas in duplici eſſe differentia. Alia enim eò dicuntur perfecta,quia ſuapte natura ſemen producere ſunt nata. In quo propter debitam elementorum commixtionem,& qualitatũ primarum & ſecundarũ proportionem ab eo vegetabili,quod ſemẽ emiſit, mutuò contemperatam,caloriſq; & ſpiritus viuifici commoderationem potentia eſt ad alterius vegetabilis productionem eiuſdem ſpeciei: & ad eaſdẽ genere proprietates edendas cum proprijs vegetabilis illius,quod id-ſeminis emiſit. Alia ſunt vegetabilia imperfecta,quæ ſine ſemine ſolent produci, quamuis horum aliqua interdum ſemen emittant:ſic tamen toto genere ſunt imperfecta,vt ſine vllo ſemine frequenter producantur. Huiuſmodi ſunt,ranæ,muſcæ,pulices, & plantæ plurimæ,aliaq; id genus vegetabilia multa imperfecta, quæ ſine ſemine ex putri elementorum commixtione (vt cum Ariſtotele loquar) per cœleſtem influxum pro-

ducuntur. Nam ſtellarum uirtus ſufficere poteſt, ut putria aliqua prius debitè præparata hanc, vel illam ſubſtantialem formam, ſiue ſpeciem pro commixtionis elementaris varietate ſine ſemine aliquo ſibi aſſumant. Porrò vegetabilia perfecta, vt ſunt, homo, equus, oliua, pyrus, dicuntur perfecta propter perfectiorem elementorum, & nobiliorem commixtionem, concinnioremque temperaturam. Quò enim elementorum prima coadunatio in ipſo rei prodendæ primo conceptu, ortu vel ſemine (ſit licet res illa animans, ſeu planta) perfectior fuerit, & purior: eò formas ſubſtantiales, & proprietates tam ſpecificas, quàm indiuiduas ſibi vendicat perfectiores. Sunt igitur fructus, vel ſemem ſolius naturæ vegetabilis (licet non omnis) quæ tametſi cogitatione diſcrepent, non tamen reipſa: ſi cum
» Ariſtotele libro II. de generatione animalium, capi-
» tul. XVIII. ſentiamus. Fructus enim dicitur, quia
» ex alio: ſemem verò, ex quo aliud: ſeminis enim
» cauſa, poſteriores & formæ, & proprietates in hoc ſenſibili orbe perpetuo, & ſimili ordine ſuccedunt,
» & connectuntur. Quapropter de ſeminis loco, &
» cuſtodia fuit magnoperè ſolicita natura. Quando-
» quidem ſeminis beneficio (ut eſt ſaltem apud hunc ipſum Ariſtotelem eiuſdem libri capit. I.) genus hominum, brutorum, atque plantarum, ſi Ariſtoteli credatur, eſt perpetuum. Relictus eſt ergo ab eo, quod ſemini ortum dedit, in ipſo ſemine innatus quidam elementorum conſenſus, qui Ariſtoteli ca-

lor

lor dicitur & ſpiritus: in quibus vis, poteſtaſque reſidet & ad formam ſubſtantialem vi aſtrorum confluente ſuſcipiendam: & ad eas proprietates quæ ope formæ ſubſtantialis actionum naturalium omnium ſunt effectrices aſſumendas: quæ ſimul cum forma ſua ad vegetabile mixtum conſeruandum concurrant neceſſe eſt. Vnde colligit Ariſtoteles, ſemen omne & animam habere, & potentiam. Animam quidem, potentia id eſt ſeminis ſubſtantialem formam, & potentiam, quæ in calore & ſpiritu uiuifico conſiſtit, ad aliam formam ſubſtantialem, & alias proprietates ſuſcipiendas. In vegetabilibus autem imperfectis, quæ ſeminis expertia ſunt, in putri quadam elementorum commixtione, ſeminis loco, influxu ſyderum ſubſtantialis forma producitur. Nam in ijs putris illa commixtio eo ut decet modo præparata facultate ad ſubſtantialem formam ſubeundam inſtructa eſt, atque ad proprietates illi commixtioni, vel imperfectis vegetabilibus conuenientes recipiendas. Nam forma ſubſtantialis, vt à nobis anteà dictum iam eſt, in materia prima non recipitur, ſiue in ſemine, ſiue in putri commixtione, ſiue apta elementorum proportione organicaque figuratione, qualitatum etiam primarum conuenienti mixtione ſiue temperamento. Proptereà Auicenna (libro I. ſui Canonis parte ſecunda) formam aduenientem poſt complexionem ſpecificam formam, ſiue totam ſubſtantiam vocat: Temperamentum

verò quod partim à iam dicta commixtione elemẽtari, partim à cœlesti facultate dictam commixtionem per formæ aduẽtum perfundente, & primo mouente: quod tanquam accidens toti rei naturali ſuperuenit, proprietatem totius ſubſtantiæ ſiue ſpeciei nuncupamus. quam Philoſophi & Medici natiuum calorem vocant, tanquam formæ ſubſtantialis quæ primò mouet, & non mouetur, proprium inſtrumentum mouẽs & motum: hæc enim eſt vera & Philoſophorum Peripateticorũ, veritatique Chriſtianæ magis cõſentanea poſitio. Paratur inquit Ariſtoteles (lib. xx. de anima cap. iiij.) & decoquitur alimentum ab anima, vt à primo mouente, & non moto, & à calido: decoctionem enim operatur calidum vt mouens & motum, virtutisque principalis inſtrumentum. Hæc Ariſtoteles, qui poſt Hippocratem id temperamentum, quod rei toti per formæ aduentum accidere diximus, calidum natiuum paſsim uocare ſolet: quod etiam Hippocrates interdum animam vocat: (vt videre eſt lib. ſexto epidimium) ubi dicit animam hominis ſemper produci ad mortem vſque: ſi verò inflammetur ſimul cũ morbo, & animam & corpus dicit depaſci: Hippocrates enim & cum eo vetuſtiſsimi quiq; & Philoſophi & Medici materiam primam rei naturalis omnis totum ſubſtantiam eſſe exiſtimauerunt: & ideo naturales tranſmutationes omnes ſoli earum calori natiuo aſcripſerunt: quorum poſitio nõ paucos nec incelebres habuit aſſertores: in quorum ſententiam aliquando etiam furtim labitur Galenus, licet interdum dictæ poſitioni apertè reclamet: quæ temere ad Platonis vſque tempo

ra &

ra & Ariſtotelis effloruit: qui vlterius in Phyſica contemplatione progreſsi, præter materiam primã, aliam quoque ſubſtantiam illa longè præſtabiliorẽ in omni re naturali ab elemento ſtellarum, hoc eſt à cœlo, ſiue quinto elemento in primam materiam debitè (ut dictum iam eſt) apparatam, cœlitus demitti tanquam eiuſdem materiæ perfectionem primi (ſaltem ab hominum memoria) demonſtrârunt. Galenus verò, & cum eo Alexand. Aphro. alijq́ue poſt vtrumq; multi: quia dicta forma ſubſtantialis quæ cœlitus in hæc caduca eo, vt dictum eſt, modo demittitur, eiuſq́ue facultas, quæ temperaturam elementarem cœleſti quadam uirtute perfundit, mouet. & dirigit ſenſu percipi nequeũt, ea ratione actiones quæ ab his fiunt omnes (albo vt aiunt coruo ſimilis) hoc eſt neque Hippocrati, neque Ariſtoteli adhærendo, ſed potius omnia tam Phyſica quàm Medica confundendo ad ſubſtantiæ totius quandã referunt proprietatem: cuius cauſam non intelligentes nulla ratione dicunt eſſe demõſtrabilem, & ob id dictam proprietatem abditam ſiue occultam nuncupauerunt. Ex quo intelligitur diuerſo modo ſubſtantialem formam, illaſq́ue proprietates produci. Siquidem illa ei, quod ſola facultate eſt, id eſt, materiæ primæ, ita, vt monuimus, præparatæ ab externo aduenit ſolo ſpiritu vt medio interiecto: proprietates autẽ ab interna elementorum, ſiue qualitatum primarum, quemadmodum docuimus, temperata commixtione, medio interlabente, hoc eſt, per formæ aduentum dictam temperaturam afficientis tanquam accidentia, ut vult Auerrois, in totum compoſitum ca-

dunt. Materia enim cum forma cauſa eſt, atque ſubiectum accidentium, tanquàm mater, vt poſt Ariſtotelem, rectè Petrus Aponus docuit, differentia LXXI. per quas totius ſubſtantiæ proprietates, tanquàm per accidẽs aliquod ſiue inſtrumentum medio carens, forma ſubſtantialis ſuas omnes naturales operationes exequitur: quæ tametſi rei naturalis primum ſit principium per ſe mouens, circunſcribitur tamen ab huiuſmodi proprietatibus, ad has, vel illas operationes ſubeundas. Eſt enim hæc ſubſtantię totius, proprietas, pro formæ ſubſtantialis adminiculo immediato, ſine quo forma nihil operatur, neque actione tranſeunte (vt loquuntur Phyſici) neque immanenta. Hanc noſtram propoſitionem apertè confirmat experientia: plantæ enim ſi à ſuo primo, & natali ſolo dimoueãtur, vt alibi inſerantur, alioque transferantur, pro locorum diuerſitate, eorumque elemẽtari varia & natiua proportione, in qua illæ proprietates per formæ ſubſtantialis influxũ conſiſtunt, varias, & diuerſas induunt facultates vt quotidiè experimur: licet forma ſubſtantialis, quæ eſt prima operationum naturalium cauſa, eadem maneat. Proinde variata rei eiuſdem naturalis elementorum natiua cõmixtione, ſiue proprietate totius ſubſtantiæ, (vt aiunt), variantur etiã eiuſdem operationes: quod manifeſta docet experientia. Ea de re dicebat
" Aponus, rerum naturalium proprietates, quas occul
" tas vocant, frequenter variari, & aliquando corrumpi
" omnino: quod non accidit formis ſubſtantialibus, quæ eædem ſemper quandiu perſtant conſeruantur. Adde, quòd ipſis in rebus naturæ ſolita interdum immutatur

elemen-

elementorum commixtio, aut proportio à prima origine contracta, ſiue Solis, ſiue aëris, tēporis, aut etiam ætatis viciſsitudine, ſecundùm Conciliatorem loco iam à nobis adducto. Quapropter illas proprietates " ſubſtantiæ totius variari nonnunquàm, & in alias de- " generare: aliquando magis, aliquando minùs validas " fieri, conſequitur. Ex qua proprietatum inconſtantia, & momentanea viciſsitudine colligit, eas, quæ occultę dicuntur à multis ſiue magica arte fiant, vel inſint à natura, vt-plurimùm ſuo tempore illas abditas facultates non retinuiſſe, quas priores authores dictis proprietatibus adſcripſerant: idque verum eſſe noſtra ætate experimur. Ego enim circiter annos quadraginta ægris curandis operam dedi, parùm tamen, aut nihil ſubſidij ſiue honoris, ex hoc genere proprietatum occultarũ in morbis curandis, ſum conſecutus. Galenus quoque lib. de renum paſsionibus, in hanc ire videtur ſententiã, licet alioqui magnus ſit dictarum proprietatum aſſertor. Qui volet, inquit, eſſe præclarus Medicus ijs medicamentis, quæ ægros iuuant à qualitate occulta, rarò vti debet. Clariùs profectò indicare non potuiſſet quàm leuiter ijs confiderit, ijſque ſe non aliàs vſum, quàm ſi de alicuius ſalute deſperaretur, vitaque deplorata videretur ob morbi ingraueſcentis vehementiam: aut ſi cætera medicamenta à qualitate manifeſta operantia ægritudini curandæ ſatis eſſe non poterant. Ego quoq; Galeni authoritate cranei humani puluerem epilepticis ſæpiſsimè porrectum vidi: pœniæ ſemen, aut radicem epileptici collo appendi iuſſi: non antè tamen, quàm purgationi, aut vacuationi

prouidiſſem: uictus rationem, ut par erat, præſcripſiſſem: quæ omnia ægrotis miſeris inutilia prorſus erāt, nihilque opis afferre videbantur. Nonnunquam etiam, quid Lupi ſtercus ventri illius alligatum, qui cholico dolore laborabat, aut potū prodeſſet, experiri placuit: atque alia ſexcenta, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate Galeno dicuntur operari, quæ nihil adiumenti infirmis, & malè ſe habentibus attulerunt. Vnde, facetè quidem, noſtræ tempeſtatis medicus quidam non ignobilis per iocum dicere ſolitus erat, huiuſmodi proprietates meritò occultas nominari, quia inquit, rarò accidit, ut quiſpiam earum effectus, ſiue vtilitates percipere poſsit. Neque iniuria ridiculi grauibus Medicis ij videntur, qui dum iſtis prorſus anilibus figmentis credunt, fidemque habent, ſemianimes ægros eludunt, & de ſpe recuperandæ ſalutis deijciunt. Atqui hic error, quod dolendum eſt, nondum planè innotuit. Plerique enim adhuc Medici in ſummam ægrorum perniciem medicamenta à totius ſubſtantiæ proprietate operantia, valetudine affectis temere propinant, vanæ oſtentationis ſtudio potiùs, quàm vtilitatis ægrorum. Quoniam vt præ cæteris quid ſciſſe videantur, rem inſuetam, & facultatis non notæ ijs, qui morbo opprimuntur malè exhibent. Sed vt ad proprietatem à tota (ſecundum Galenum) ſubſtantia operantem exactius examinandam redeamus. Ioannes Meſuē Arabiæ Medicorum ſuo tempore doctiſsimus cùm argumentis, quæ hactenus, de formarum ſubſtantialium, & proprietatum ratione attulimus, tum Platonis authoritate motus ait,

rem

rem omnem naturalem duplici virtute eſſe ornatam: «
elementari vna,qua calfacit, refrigerat,ſiccat,vel hu- «
mectat : non autem purgat : cœleſti altera, eaque vel «
communi,vel propria,illamque temperiem dirigen- «
te, & qua medicamentum purgandi uim habet, quę «
omnia poteſt à cœleſti virtute ad temperiem acce-
dente. Hæc ille. Omnis enim forma ſubſtantialis, quæ externam, cœlituſque conceſſam habet origiginem, vt diximus, commune principium eſt, & generalis cauſa (non ſine medio tamen : quia per proprietates) operationum omnium naturalium. Quanquàm hæc eadem forma à rei naturalis, quæ per eam informatur, proprietatibus definitur, ac propriè ad has, vel illas peragendas rei eidem naturali conuenientes operationes dirigitur. Atque hæ duæ ſunt virtutes, cœleſtis videlicet, quæ communis eſt, indefinita, primum mouens in re vegetabili, & non mota : atque elementaris, quæ in naturali elementorum mixtione cœleſti facultate per formæ aduentum delibuta conſiſtit: cauſaque propria eſt, ac medij expers mouens, & mota, quibus duabus virtutibus Meſuë rem naturalem eſſe præditam exiſtimauit. Cœleſtis enim, eodem authore, duobus modis ſpectatur. Primùm communi ratione, qua proprietatem generali modo ad operandum indefinitè, purgandúmque in medicamentis mouet, & ſuſcitat. Deinde propria, qua cum proprietate, ſeu potius à proprietate ad hoc, vel illud opus dirigitur. Nullius enim, vt inquit Meſuë, rei actio

„ propria eſſe poteſt, niſi ea, quam forma ipſa excitat:
„ quod idem apertiùs docet his verbis. Solutiuum, non
„ quia calidum, aut frigidum: non quia ſimile, aut con-
„ trarium purgat: ſed quia tale: id eſt, cœleſti virtute
„ per formam ſubſtantialem dotatum, quæ mouet, &
„ non mouetur, ob eamque cauſam mixtionem elemen
„ tarem, in qua per formæ aduentum proprietas illa cer-
nitur, regere perhibetur. Quibus verbis oſtendit, ſo-
lutiui medicamenti elementarem mixtionem per for
mæ ſubſtantialis, quę rationem aliquam cœleſtem ha
bet, tanquàm per primum, & commune principium,
ad operandum moueri. Quamobrem forma ſubſtan-
tialis, etſi ratione communi proprietatem ad operan-
dum excitet: eadem tamen per illam ipſam proprieta-
tem ad hanc, vel illam operationem redigitur, & defi-
nitur. Medicamentum autem purgans, quia tale, hoc
eſt, per formā ſubſtantialem primò, & communi ratio
ne purgat, ſuaq; proprietate qua ad hoc vel illud opus
dicta forma citatur, vel hunc, vel illum, vel alium hu
morem educit. Quam noſtram concluſionem idem
Meſuē accuratiùs explicat, cùm ait naturā rebus omni
„ bus quaſdam proprietates indidiſſe, quibus hæ ipſæ,
„ quod ſibi proprium eſt, agunt, idque pro formæ natu-
„ ra atque inſita motione. Quæ omnia præter rationem
apertam, & authoritatem, etiam confirmat experien-
tia. Forma enim ſubſtantialis abſynthij, quamuis ſit
primum, & commune principium omnium eius ope-
rationum: per ipſius tamen ſibi adnatas ſpecificas, &
cœleſti facultate per aduentum formæ perfuſas pro-
prietates ad huius ſpeciei, non alterius, ſuccum ei nu-
trien-

triendo conuenientem, propriè accommodatur, à terra trahendum, coquendum, aſsimilandum: adeóque ad radices, ſtipites, folia, flores, fructus, huius quantitatis, qualitatis, figuræ, odoris, ſaporis, facultatis abſinthio conuenientibus gignendos. Etenim varia, atque natiua elementorũ cõmixtio in vno loco, non in alio inuẽta, facit, vt abſynthiũ meliùs, & efficaciùs in vno loco creſcat, quàm in alio: forma etiã ſubſtãtiali vna ſemper, ea demúque manente: quod idem in omni alia planta licet experiri. Eadem ratio eſt mineralium, aliarumq́; multarũ rerum. Magnetis enim ſpecifica forma primò, & cõmuni ratione illius proprietatem ad attrahendũ ſibi conueniens mouet: cùm tamen à proprietate per eiuſdem formæ ſubſtantialis aduentum ei adnata, ipſa illa forma ad ferrum trahendum, tanquàm Magneti conueniens futurum definiatur, (niſi ab extrinſeco impediatur): non ad aurum, uel argẽtum, vel lignum. Siquidem Magnes, vt aiunt, à circuniecto ſibi, atque attiguo copioſo ferro grauitatem temporis progreſsione acquirit propter alicuius ſubſtantiæ additionem. Idem iudicium eſt de ſuccino habita ratione paleæ, atque de alijs multis. Quocircà naturalium operationum vis, & facultas, non à ſimilitudine, uel proprietate occulta naſcitur, vt Galenus exiſtimauit: ſed potiùs à rerum ipſarum formis ſubſtantialibus, quæ verę ſunt earum naturæ, quæ primò mouent, & non mouentur, tanquàm à primo mouente: atque remoto, earumq́ue rerum proprietatibus, vel ſpecialibus, uel indiuiduis, velut à cuaſa inſtrumẽtali, atq; medio deſtituta. Quapropter illę proprietates tanquam ſecundæ ſpeciei quali-

tates diuerſis rationibus potentiæ, impotentiæque vocantur: quia ſubſtantialis forma, quæ primò per eas, ceu per inſtrumenta vacantia medio mouet, poteſt, aut non poteſt opus certum, definitumque abſoluere. Iam & à Galeno interdum eatenùs qualitates dicuntur, quatenus toti ſubiecto ex materia, formaque conſtato adueniunt, vocãtur etiam mediæ qualitates: quia ſubſtantialis forma per eas, velut per medium, aut inſtrumẽtum, exit in actum. Sed ambigat fortaſſè quiſpiam, cur ſuo more Galenus illas proprietates à tota ſubſtãtia aſſerat operari. Qui nodus quò faciliùs exoluatur (licet non ad Galeni mẽtem, qui horũ omnium nullam poſſe dari rationem exiſtimauit). Nos contrà dictarum facultatũ quas occultas eſſe putauit, aliquid
» rationis afferre conabimur. Primùm igitur vidẽdum
» eſt, qua idem ratione lib. III. temperamẽtorum dicat,
» aſsimilationem, quæ verè nutritio eſt, à tota ſubſtantia effici: alterationem verò non item. Cuius hęc facilis, expeditáq; ratio eſt (licet Galenus proprietatis huius nullam poſſe dari rationem contendat): quia nutritio motus eſt ad ſubſtãtiam: ſiquidem nutrimentum, Ariſtotele authore, lib. II. de anima, cap. III. ſubſtantiam affert nutrito. Quæ ſi vera ſunt, facilè concludi poteſt, nutritionem à tota ſubſtantia fieri, ſaltem vt à
» termino, quando, Ariſtotele teſte, lib. I. de ortu, & in-
» teritu: & Galeno, lib. I. temperamentorum, contrario-
» rum ſunt actiones. Quorum, inquit, proprium eſt ad-
» inuicem agere: & pati, & alterum ab altero contrario
» ſibi corrumpi. Cæterùm quia contraria, & Ariſto-
» teli, & Galeno ſunt ea, quæ ſub eodem genere colloca

ta

ta plurimùm inter ſe diſtát: cuiuſmodi eſt forma ſubſtantialis, quæ corrumpitur, quoniam ei penitus contraria eſt, quæ producitur. Itaque, quia nutritio motus eſt ad ſubſtãtiam, quæ producitur, neceſſe eſt, ut etiam ſit à ſubſtantia, quæ corrumpitur, ſubſtantiæ priori contraria, ſaltem ut à termino. Sicut alteratio, quia “
motus eſt ad qualitatẽ, ita à qualitate poſteriori quali- “
tati cõtraria ſit oportet, & non à ſubſtantia: quæ ſcitè “
Galenus eodem loco demonſtrat. Ac dicet, nihil ſubſtantiæ ſit contrarium, dialectica præſertim contrarietate: quod indicat quarta ſubſtantiæ proprietas in Ariſtotelis Categorijs: rei tamen, quæ verè eſt ſubſtantia, quoddam eſt, ſi ad Phyſicã nos referamus, aduerſum. Forma ſubſtantialis ignis, formæ aquæ (ſunt autem ſubſtantiæ, & ſi incompletæ) aduerſatur, & è diuerſo: aquæ forma ei, quæ ignis eſt. Siquidem ſub eodem genere poſitæ plurimùm à ſe diſtant. Subſtantiæ verò completæ, qualia ſunt entia naturalia, penitus nulla pugnant ſubſtantia. Hinc cognitum, perſpectumque omnibus eſſe poteſt, quàm iniquè, & falſò Galenus ſit Ariſtotelem inſectatus repugnantiæ, aut palinodiæ, lib. XI. methodi Therapeuticæ, dicens, ipſum ſuam legem non ſeruare in principiorũ naturalium aſsignatione, cùm lib. V. Phyſicorum, capit. II. dicit, ad ſubſtantiam non eſſe motum. Quia, inquit, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium: quo in loco de completa ſubſtantia uerba facit. Atqui Ariſtoteles ipſe autor eſt lib. I. de generatione, cap. V. motum generationis ad ſubſtantiam eſſe: ubi ſimplicem, incompletamque ſubſtantiam innuit: cuiuſmodi ſunt, formæ ſubſtantiales ignis, &

aquæ: quæ ſibi inuicem aduerſantur. Quapropter in principijs conſtituendis (vt illi perperam imponit Galenus), pugnantia Ariſtoteles non loquitur: ſed eſt rerum intelligenda diſtinctio. Iam & alia ratio eſt, cur Galenus, nutritionem à tota ſubſtantia fieri aſſerat. Etenim planta, quæ nutritur, ſuccum à terra ſibi conuenientem attrahit, quò tandem illum, ut uerum nutrimentum, ſibi apponat, atque aſsimilet: non materiæ quidem primæ benefi cio: quæ nulla ſua vi in efficiendi facultate conſiſtit: neque adeò ipſius plantæ qualitatis virtute. Nam qualitas, & ſubſtantia, ut eſt tractus, trahendusúe ſuccus, genere differunt, etiam primo, ob eamq́ue cauſam inuicem agere nequeunt: vt antè demonſtrauimus, ſaltem vniuocè: ſiue primò, & per ſe: quemadmodum neque linea in candorem. Quoniam igitur in planta, iuxta Galeni theſin, qui formam nullam ſubſtantialem agnoſcit, cauſa nulla tertia reddi poteſt, quæ futurum nutrimentum trahat, ac verum aſsimilet, præter plantę totā ſubſtantiam, conſectariū eſt, eadem Galeni theſi firma, & inconcuſſa manente, ſucci appoſitionē, & aſsimilationem à tota plantæ ſubſtantia effici. Adhæc, alia ratio eſt, cur, quæ tacito naturæ conſenſu operari dicuntur, ea omnia Galenus dicat, à totius ſubſtantiæ ſimilitudine operari. Omne ennim agens naturale (vt Ariſtoteli placet, lib. I. de generat. cap. VII.) ideo agit, vt id quod patitur, quîcum cōmunicat, in materia ſibi ſimile faciat. Ideoóq; pręclarè ait, quod agit, quodq́ue patitur, quodammodo eſſe ſimilia: nimirum genere: quadā etiam ratione diſsimilia, ſpecie videlicet. Nam neque caro,
ſan-

ſanguinem: neque radix plantæ à terra ſuccum trahere poſſunt, niſi vt ipſis, tanquam actu contrarijs: facultate autem ſimilibus, alteratis, atque corruptis: tùm verò, quia poteſtate: ſiue genere ſimilia ſunt ea, ſimilia ſibi reddant. Siquidem vt quod trahit, quodq; trahitur, actu contraria, diſsimilia, & inimica ſint: ſic facultate familiaria, ſimilia: & amica. Quod enim nutrit (inquit Ariſtoteles) ſicut primùm contrarium eſt nutrito: ita demum actu ſimile, atque amicum efficitur. " "
Itaque hæc facultate conſtans nutrimenti futuri, corporiſque nutriendi ſimilitudo, ea eſt Galeno ſimilitudo, familiaritas, amicitia ſubſtantiarum, cuius ratione vna ſubſtantia, alteram ſibi facultate ſimilem, conuenientemque attrahit, vt eam ſibi tandem aſsimilet. Sic idem ait, nutritionem à totius ſubſtantiæ proprietate fieri, non abſque aliqua ratione. Nam vt aptum eſſe ad riſum exactè proprium eſt homini, quia in omnem, ac ſolum hominem cadit: ſic poteſt exiſtere terræ aliquis ſuccus, ſic proprius vni ſpeciei plantæ (verbi cauſa Abſynthio) vt ei omni, & ſoli competat, ipſumq; ſolū nutriat, propter ſuam cum Abſynthio ſolo conuenientem proprietatem. Quod ipſum declarat experientia. Inefficax enim, atque inutile Abſynthium in loco creſcit, in quo ſucci ei conuenientis aut proprij eſt defectus, ſiue inopia: vt multis in locis Theophraſtus oſtendit: nec alia dari poteſt, cur abſynthium ponticum longè ſit ſantonico præſtantius. Eadémque ratio eſt ſuccorum omnium plantæ cuilibet propriorum. Quare hæc eſt proprietas nutrientis ſubſtantiæ, corporiſq; nutriti, cuius opera Galenus, ac poſt eum

Medici penè omnes ſenſerunt,attractionem, & nutritionem à totius ſubſtantiæ ſimilitudine, ſeu proprietate proficiſci:quas ſibi obſcuras, atq; ignotas, aut occultas neſcio quomodo vocant,quaſi in altiſsimum puteum , cum Democriti veritate demerſas : in quibus deſcribendis Galenus decipitur,quia totius ſubſtantiæ proprietas,ſimilitudo,familiaritas, conuenientem ſuccum trahere propriè primò & per ſe non poſſunt:etſi hæ re vera cauſæ ſint,cur hic ſuccus non alius , ab hac forma ſubſtantiali primò,& per ſe & à dicta proprietate cauſa inſtrumentali, trahatur & adſimiletur. Rectiùs ergo Galeno Ariſtoteles eſt philoſophatus, lib .1. Phyſicorum , vbi pro tranſmutationum naturalium (quæ per contraria fiunt)rationibus explicandis:quia earũ ſpecialibus cauſis nomina ſępè non ſunt impoſita, ad generalia profugiendũ eſſe oſtendit:qualia ſunt, cõueniens,inconueniens: determinatũ,indeterminatum.
„ Non enim (vt apud Ariſtotelẽ eſt) quodlibet natum
„ eſt agere in quodlibet, neq; à quolibet pati : ſed vt ter-
„ minum in determinatum actu cõtrariũ agere: & à de-
„ terminato,actu cõtrario:quanquam facultate ſimili,vt
„ à termino pati . Albũ enim non fit à quolibet,neq; in quodlibet interit : ſed ſicut à nigro fit , ut à termino:aut colorato medio:ita in nigrum interit: aut medium coloratum,tanquam in contrarium,ſicut à contrario.Eodemq; modo neq; caro,neq; alia quęuis particula,formam carneã habens,fit à quolibet : ſed à ſanguine illi determinato,ſiue conueniẽte,vt à termino: licet ei actu contrario : neq; caro in quodlibet naturaliter corrũpitur:ſed uel in ſaniem putrem: vel in reſolutio-

lutionem inſenſilem, tanquam ei determinatam. Itaq; generalibus his rationum ſuperiorũ nominibus, quando ſpecialia deſunt, tranſmutationum naturalium cauſas Ariſtoteles ſanè eſt interpretatus: non per dictiones obſcuras, quæ nullà ratione poſſunt explicari, ad quas pro tranſmutationum ratione cõfugit Galenus, docens, eas à totius ſubſtantiæ proprietate, vel ſimilitudine nemini cognita, vel familiaritate fieri. Quibus obſcuris, inuſitatis, atque abſurdis vocibus, vt ab Ariſtotelica Philoſophia recederet, tranſmutationum Phyſicarum cauſas obſcurauit prorſus: nõ illuſtrauit, & à diſciplinæ rationalis conſortio penitus eliminare ſtuduit.

Quæ nutriuntur corpora, alimentum ſibi conueniens neque à totius ſubſtantiæ occulta proprietate (licet illud Galenus aſſerat) neque à ſubſtantiarum ſimilitudine ad ſe trahuntur.

CAP. VI.

PVTAVIT Galenus (vt videre eſt lib. v. ſimplicis Medicinæ, capit. XVI.) & purgantia per excellentiam medicamenta, & quæ nutriuntur vegetabilia, ſuccos ſibi proprios, & familiares, à totius ſubſtantiæ ſola ſimilitudine, vel abdita quadam proprietate trahere. Qua vna in re ab omnium Medicorum, Philoſophorumque

doctrinis defeciſſe, atque aberraſſe exiſtimamus. Quod quò manifeſtiùs doceamus; primùm dicemus, qua ratione corpora, quæ nutriuntur, ſuccum ſuæ nutricationi conuenientem attrahant: mox verò ad inſtitutum præcipuum accedentes, de purgantium medicamentorum facultatibus diſſeremus. Atque vt noſtras quidem de vegetabilium facultate attractrice ratiocinationes ſolidiores efficiamus, & clariores, eas ab his, quæ vel ſenſui, vel rationi euidentia ſunt, demonſtrare aggrediemur: veluti demonſtrandum eſſe docet Galenus lib. I. ſimplicis Medicinæ, ca. XXXV. Ergo rebus naturalibus omnibus (vt hinc ordiar) ſiue plantis, ſiue animalibus, inſitus eſt boni cuiuſpiam veri, vel apparentis naturalis appetitus, & diſconuenientis naturale odium, atq; fuga. Hanc propoſitionem, ut experientiam omittamus, & Medici, & Philoſophi omnes fatentur. Præter etiam appetitum, ſiue odium, ne huiuſmodi otioſa, & vana forent, iiſdem rebus innata ſunt adminicula quædam, ſiue inſtrumenta, quibus vtuntur ad id, quod appetunt, conueniens proſequendum, vel aſſequendum: atque ad id, quod eſt diſconueniēs, ſubterfugiendum, ac declinandum. Animantes enim omnes, quia duplici (vt experimur) facultate ſunt prȩditæ, ſentiēte, ac vegetabili: plantæ verò vegetabili ſola: idcirco in omnibus animantibus duplex ineſt appetitio, duplexque odium atque fuga. Animalis vna, altera naturalis. Vtrique autem appetitioni, & fugæ, commoda adminicula, atque organa diuerſa quædam natura tribuit: Appetitioni enim animalium ſentienti organica membra conceſsit, quibus id bonū, quod appe-

appetunt, quodq́ue eſt illis conueniens (& ſi multùm aliquando ſit diſtans) loco mutato proſequantur, tandemq́ue adipiſcantur: quod verò noxium eſt fugiant, parique mutatione loci euadant. Atque hæc membra ſunt, vt oculi, aures, dentes, alæ, pedes, aliáque eiuſdem generis. Poſita enim ad animalis, vel ſtirpis conſeruationé naturali, vel animali conuenientis appetitione: aut diſconuenientis odio (ne hæc ſuperuacua eſſent) adminicula quædam adijci, quibus conueniens conſequi poſſet, diſconueniensq́ue effugere, neceſſe fuit: neceſsitate ſaltem ſuppoſitiua, de qua Ariſtoteles meminit lib. II. Phyſicorum, & lib. I. de partibus animalium, capit. I. ubi his rebus neceſsitatem, non ſimpliciter: ſed ex ſuppoſitione aſcribit, citra quas res naturalis (poſtquam producta eſt) conſeruari nullo modo poſsit. Neceſſe igitur fuit, ea ſaltem, de qua antè diximus, neceſsitate, appetitioni, & odio: ſiue ſentientibus, ſiue purè naturalibus, ad animalium & ſtirpium conſeruationem adminicula quædam dediſſe, quibus conueniens proſequantur, & eo frui poſsint: diſconueniens autem, noxiúmque deuitent. Et quia animalium, quædam præda viuunt, vt vulpes, accipiter, aquila, lupus, aranea: alia herbis, frondibuſq́ue paſcuntur, vt boues, capræ, equi, atque ſimilia: prioribus, præter membra organica ad proſequendam prædam neceſſaria, cuiuſmodi ſunt vngues recurui, roſtrum, dentes, alæ, pinnæ: natura quoque largita eſt aſtum quendam incredibilem, atq; natiuum (ne otioſa talia membra, vacuáque perſtarent) quo incautam prædam decipiant, atque faciliùs conſequantur. Cæteris autem, quę herbis veſcuntur (quia ta

li aſtu non egent)imaginatiuam phantaſiam quãdam ingenuit,qua nutrimentum ſibi conueniens, à diſconueniente ſeligant,& percipere poſsint,quò eo adepto nutriantur,& conſeruentur. Quę oculari fide omnia licet experiri:tantùm abeſt,vt ea demonſtrari neceſſe ſit. Eademque ratio eſt:ſeu potius neceſsitas,purè naturalis cùm appetitionis,tum odij. Plantis enim, alijsq; id genus purè vegetabilibus omnibus Natura quaſdam partes attribuit,quaſi membra organica, naturali appetitioni ſeruientia. In plantis,radices:in vegetabilibus animatis,venas ſiue villos aut rectos, aut tranſuerſos in certis animalium particulis potiſsimè communi animalium vtilitati ſeruientibus:vt ſunt ventriculus,gula,vtraque veſica, & alijs intertextos: per quas partes,tanquam per meatus inſtrumentarios, animantes,id quod appetunt,id eſt ſuccum ſuæ nutritioni conducentem, & à ſe diſtãtem attrahere poſſunt. Ac præter illas partes inſtrumentarias,natura inſuper vegetabilibus omnibus,naturale quoddam,ſiue natiuũ elementorum temperamentum adiecit,quod multi τὸ σύμφυτον θερμόν, hoc eſt natiuum colorem appellant(quo de paulò antè diffuſiùs egimus)cuius tanquam veri, medioque carentis inſtrumenti auxilio,rei omnis vegetabilis forma ſubſtantialis,tanquam primùm, & per ſe mouens,ſuccum certum vegetabili conuenientem, & non aliũ,etiam diſtãtem,loco licet non mutato allicere,atque attrahere,perque partes expoſitas, tanquam per conuenientem viam,ſibi vendicare poſsit. Ac eas quidem vegetabilium partes tanquam organicas natura prouida,aliquando intra terræ viſcera,vt in ſtirpibus

pibus radices: aliquando etiam iuxta particulæ terræ vices gerentis concauum, venas, vt in animãtibus plantauit circa ventriculum, vt dictæ partes vegetabilium, ijs inſitæ locis, uel ſaltem attiguæ ſuccum ſuæ naturę nutriendæ idoneum ſemper pręſentem habeant, & vicinum, atque tractui commodum. Sicut enim animantis appetitioni natura, & organicis membris, & aſtu, imaginatiuaque phantaſia quadam prouidit: ne illa appetitio vana eſſet, quibus cõueniens, quod appetũt, alimentum proſequendo, vel conſequendo, ad indiuidui conſeruationem poſsint aſſequi. Simili ratione, & neceſsitate vegetabilium omniũ naturali appetitioni multis modis natura prouidit. Nam præter eorũ partes organicas, vt ſunt radices, aut maiores, aut minores in purè vegetabilibus: in alijs autẽ venæ, partim craſſiores, partim graciliores: naturale etiã tẽperamentũ, quod natiuum calorem vocant, naturali appetitioni natura addidit, ne appetitio illa vana eſſet, vt eo temperamento, velut inſtrumento, forma ſubſtantialis rei naturalis omnis, loco non mutato, nutrimentum rei nutriendæ conueniens (etiam porrò ſemotum) ad ſe trahat, retineat, alteret, coquat, & poſt coctionem diſcõuenientia, atq; ſuperflua tanquã naturęmoleſta pellat. Quę omnia quia nutriẽti facultati neceſſaria ſunt, ideo ab his quatuor functionibus facultates quatuor naturales: nomen, & rationẽ duxerunt: quæ licet inter ſe ratione diſſentiant: nulla tamen in re poſſunt conſiſtere, niſi in eo, de quo iam diximus, natiuo temperamento: etſi nominibus varijs pro varietate functionũ interpretantur. Non enim quidquam aliud alimẽtum

conueniens, in vegetabili, natura attrahit, retinet, alterat(ſaltem vt inſtrumẽtum) quàm illud naturale temperamentum, & forma ſubſtantialis, vt mouens primùm, & per ſe. Verumenimuerò, ſicut ſingulę vegetabilium ſpecies formas habent ſubſtantiales ſibi proprias, & ab aliorum vegetabilium ſpecie differentium formis ſpecie differentes: ſic & ſpecie differentia habẽt temperamenta ab eorum ortu ſibi innata, quæ ſuccos ſibi, id eſt, ſuæ nutricationi propitios, & ab aliarũ plantarum ſuccis ſpecie differentes attrahere, retinere, alterare ſolent: qui ſpeciei eiuſdem indiuiduo omni conducunt: non aliorum ſpecie diſsidentiũ vegetabilium indiuiduis. Nam vt formæ ſubſtantiales origani, atq; abſynthij ſpecie differũt, habẽtq; ſpecie diſtãtia naturalia tẽperamẽta: ita ſingulę plãtæ, omnes ſpecie differẽtes, ſuccos ſibi cõuenietes, omninoq; ſpecie diſcrepãtes, ad ſe à terra trahũt, retinẽt, alterant, atq; eorũdem ſuperflua pellunt. Nec mirum. Etenim vt idem membrum ciborum diſtributioni ſeruit, ſuperfluitatumq; expulſioni, vt præter experientiam plurimis in locis docet Galenus: ſic idem temperamentum, cauſaque medio carens nutrimentum conueniens ad ſe vt inſtrumentum trahit, & ſuperfluum, ſiue diſconueniens expellit. Trahit, inquam, primò ſuccos conuenientes: quibus deficientibus, trahit etiam minus accommodos: perinde atque purgans medicamentum primò ſuccos ſibi proprios trahendo purgat: deinde verò alios minus conueniẽtes ſuperpurgat: vt apertè oſtẽdit Hippocrates lib. de Natura humana. Ergo vt ab his ſuccis parum conferentibus attractis, plantæ languent, mar-

cescunt,

ceſcunt,& exareſcunt,ſæpiuſque intermoriuntur : ſic humana corpora à ſuperpurgationibus ſuccos medicamentis ineptos,& naturę conditionales attrahentibus contabeſcunt. Quò fit,vt vegetabilia omnia, à totius ſubſtãtiæ proprietate,ſiue ſimilitudine (quemadmodum Galenus ſtatuit) ſuccos ſuæ nutricationi conducentes non attrahant:ſed à forma ſua ſubſtantię efficiente, vt à primo trahente, & præcipuo,atque à temperamento natiuo : tanquam ſecundo, ſiue inſtrumentario mouente: inter quod & effectum nullum mediũ intercedat. Eam verò ſubſtantialem formam, meritò ſubſtantiam totam vocare poſſumus:quia,ſine ea,materia prima conſtare, & cohærêre non poteſt. Quapropter Ariſtoteles autor eſt,lib.II.Phyſi.cap.I. Subſtantiam totam ſimul cum forma fieri, nomenq́; ſuum accipere:non autem priùs. Quare ſi per totam ſubſtantiam Galenus formam ſubſtãtialem intelligat, quam tamen(vt antè demonſtrauimus) in ſimplici-ter vegetabili non agnouit:cum eo ſanè fatemur, nutritionem, & nutrimenti conuenientis attractionem à tota ſubſtantia fieri : tanquam à prima cauſa,primò agente,& à natiuo temperamento,velut experte medij inſtrumento. Sin ſecus, attractionem nutrimenti, ſiue nutricationem à tota ſubſtantia effici, cum Ariſtotele inficiabimur.

Purgantia Medicamenta, & vegetabilia corpora, diuerſis omnino rationibus, proprios ſibi ſuccos attrahunt.

CAP. VII.

EX IIS, quæ antè diximus, perſpicuè conſtat, multoq; liquidiùs ex conſequentibus apparebit, quî verba Hippocratis intelligenda ſint, in lib. de Natura humana, cùm
» ait: Medicamentum, cùm in corpus humanũ fuerit in-
» greſſum, primò ſanè ducit, quodcunque ipſi, inter ea,
» quæ corpori inſunt, natura maximè reſpondet. Dein-
» de alia quoq; & trahit, & purgat: quemadmodum ſtir
» pes terrã ingreſſæ, ſuccos qui, in terra, ſecũdum earũ
» naturam ſunt, attrahũt. Idemq; paulò-poſt, Primùm,
» inquit, plurimum illius, quod ſibi cognatũ eſt, trahũt:
» poſteà alia quoq; ad ſe rapiunt. Tale quid Medicamen
» ta efficiũt, in corpore humano. His verbis Galenus adductus, atq; commotus, in libro, de facultatibus naturalibus, alijsq; multis in locis, ſuã illam, de purgantium per excellentiam medicamentorum purgatoria facultate opinionem conſtruxit, quã apertè applicat lib. v. ſimplicis medicinæ, Cap. xvi. his verbis, Medicamenta, inquit, per excellentiam purgãtia: ſeu, quæ nutriũtur corpora, ſuccos ſibi familiares, ſiue conuenientes, qualitatis familiaritate trahunt, hoc eſt, ſubſtantiarum ſimilitudine. Quo in loco Galenus Hippocratem malè in ſuam detorquet ſententiam, cùm is nihil eorũ, quæ in hac purgantium natura, poſteà Galenus cõmentus eſt deſignârit: quemadmodum illi, qui verba ea, quæ

antè

antè protulimus,paulò altiùs ex antecedētibus,conſequentibusq́; contemplabitur,oppidò facilè innoteſcet. Siquidem ea ſuccorum,vel à plantarum radicibus: vel ab humano corpore trahendorū ſimilem ordinē: non attractionis rationem ſimilem oſtēdunt. Nam,vt Hippocrates,hominem nō eſſe vnū quid ſimplex oſtēderet,cōtra Philoſophorum quorundā opinionem,eum ait,ſeu vegetabilia omnia,ex quatuor elemētis primò conſtare,ex quorū proportione varia,quatuor etiam humores,& ſpecie,& facultate differentes, in homine fieri ſanguinem,pituîtam,& vtranq; bilem:quos quatuor ſuccos humanū corpus obtinere toto vitæ curriculo demonſtrauit:vt purgationes,inquit, oſtendunt, potiſsimùm,quādo ſunt immodicæ,in quibus varios, «
& multos ſuccos purgari ratio docet, & experientia. «
Quibus verbis,Laconiſmo gaudēs Hippocrates, non «
tantùm variā ſuccorū in corpore humano multitudinē,ſed etiam ſimilē eorum attractionis ordinem comprehendit. Quandoquidem, vt ſtirpiū radices,ſuccos ſuæ naturæ cōuenientes primò trahunt,deinde minùs accōmodatos:ſic Medicamenta in purgationibus,ſuccos purgatoriæ ſuæ naturæ magis idoneos primò trahūt,&à toto corpore purgant:poſteà autem & alios, minùs conuenientes ſuperpurgant. Ex quibus manifeſtè notat Hippocrates,non ſolùm ſuccorum in corpore humano diuerſorum multitudinē, verùmetiam eorum attrahendorum ſimilem ordinem. Non enim eadem ratione plantarum radices ſuccum ſibi conuenientem à terra trahunt,& Medicamenta purgantia ſuccos ſibi proprios à corpore humano. Ille enim

ſuccos à terra trahunt,vt illis fruantur, nutriantur, & conſeruentur:(quia nutritum à nutrimento ſeruatur, medicamenta contrà ſuccos à corpore trahunt, non vt ipſis nutriantur:neque vt eis aliquando fruantur:vt ratio docet cum experientia: quia medicamenta purgantia vegetabilis facultatis(ſaltem vt talia) expertia ſunt.Prætereà ſtirpes natura nutrimentum ſibi conueniens trahunt, ſicut & omnia vegetabilia: medicamenta autem non natura, ſed violenter ſuccos ſuæ purgatoriæ facultati proprios trahunt, & purgant. Etenim,quæ à natura fiunt,nunquam aliter aſſueſcũt, autore Ariſtotele lib.II.Ethicorum cap.I.Quare medicamentum,quia longa cum natura conſuetudine viribus ſuis priuatur,fitque inefficax(vt poſteà docebimus)à conſuetis enim non fit paſsio(quemadmodum ſæpè licet experiri) purgantia igitur medicamenta, non natura,ſed violenter trahunt. Quocirca rationibus multùm diuerſis ſtirpibus conueniens ſuccus attrahitur à terra,& à medicamentis humores ab humano corpore.Poſtremò,quæ à tota ſubſtantia trahunt, vt magnes, ferrum:ſuccinum,paleá:adtracta iuxta ſe (quantum in eis eſt)retinent,vt illis fruantur. Nihil enim,vt Galeno placet lib.III. de facultatibus naturalibus,propter ipſum trahere, quidquam trahit.Quod ſecus contingit in medicamentis purgantibus,quę ſuccos,quos à corpore trahunt, neque iuxta ſe retinent, neque eis fruuntur:ſed contrà, partim acrimonia ſua: partim infeſta agitatione à ſe depellunt, & violenter expurgant:Ob eamq́ue violentiã,ſuccorum talis purgatio quomodocunque hoc eſt, ſiue natura, ſiue medi

ca-

camentis à corpore humano facta, perturbatio vētris ab Hippocrate nominatur. Ex quibus apparet, quàm diuerſis rationibus ſtirpes ſuccum à terra, & medicamenta purgantia ſuccos ſibi proprios à corpore humano trahunt.

Narratur Galeni opinio, de purgantium per excellentiam medicamentorum facultate ex varijs eius libris collecta.

CAP. VIII.

PRIVSQVAM Galeni, de facultate per excellentiam in medicamētis purgatrice, opinionem accuratiùs examinemus, exponendum nobis eſt, quid ipſe de ea ſentiat, qui lib. III. ſimplicis Medicinæ, cap. XXIII. & XXIIII. & lib. V. eiuſdem, cap. XVI. eius facultatis naturam, his propemodùm uerbis declarat, Sicut in ſaporibus, inquit, vix fieri poteſt, vt in vno ſimplici, quoad ſenſum medicamento, vnus ſimplex ſapor, & impermixtus inueniatur: de purgatorijs, ſimplicibus medicamentis idem eſto iudicium. Nam eorum, inquit, facultas vt plurimùm duplex eſt. Quædam enim vbi ſua vi purgatorio fruſtrantur, præterquàm quòd corpori nullam noxam afferunt, alimentum etiam præbent: alia verò, ſi corpus humanum non purgant, in venenum vertũtur, corpus corrumpentia. Cnicum enim, quod differt à grano Gnidio, quia hoc calidius illo eſt: quanquàm vtrunque ſubducendæ pituîtæ ſit natũ: tamen Cnicum

„ ſua vi purgatoria ſępius priuatur, & à calore humano, „ in alimentum humanum conuertitur. Granum verò „ Gnidium, quia calidus eſt, raro ab humano calore vin- „ citur, ſed potiùs eum vincit, & rariſsimè nutrit: verùm, „ vel pituîtam ducit, vel in venenum mutatur. Porrò „ (inquit Galenus, in libris, de facultatibus naturalibus) „ oſtenſum eſt, attractiones quaſdam fieri proprietati- „ bus qualitatum: quæ in ſubſtantijs ſunt, hoc eſt, fami- „ liaritate quadam, inter Medicamentum trahens, & tra „ ctum ſuccum, contracta: vel ſimilitudine. Propterea „ caro ſanguinem trahit, ſicut os ſanguinem craſſum, & „ retinet, vt ſibi apponat, atque aſsimilet. Qua quidem „ ratione, omne Medicamentum purgans, familiarita- „ tem quandam, vel ſimilitudinem habere cum aliquo „ humorum corporis humani neceſſe eſt: eademque ſi- „ militudine: vel familiaritate illos humores purgare tra „ hendo. Ac tametſi Medicamentum, qualemcumque „ cum ſucco ſibi proprio habeat ſimilitudinem: non ta- „ men omne habet vim venenoſam, ſibi permixtam: ſi- „ quidem, vi quorundam purgatoria, à calore humano „ victa (vti diximus) fiunt nutrimenta, talemque pro- „ ducunt humorem, qualem purgare nata erant. Tale „ enim medicamentum (vt dictũ eſt) humori, ad quem „ trahendum natum eſt, & poteſtate exiſtit ſimile. Sed „ in attrahendo calore eſt efficacius granum Gnidium: „ quia pituîtam trahit, & purgat. Quare & illud, atque „ pituîtam in ſubſtantijs ſimilitudinem quandum habe- „ re neceſſe eſt. Nam quod purgatur, pituîta eſt. Itaque „ quod purgat neceſſarium eſt, pituitoſum quid habere. „ Etſi planè non eſt pituîta. Idem iudicium eſt, de alijs

Medica-

Medicamentis purgantibus, ſuccisque ab eis educen-
dis proprijs: hæc eſt igitur Galeni ſententia: qui ſimili
tudinem dicit ineſſe ſubſtantijs, non idẽtitatem. Quia
neque ferrum trahit ferrum, neque lapis lapidem: neq;
caro carnem. Plurimùm enim intereſt, inter idem, &
ſimile: Nō enim idem eſt, dicere, pituîtam, & pituito
ſum: vnde Granum Gnidium pituitoſum vocamus,
non pituîtam. Iam verò pituitoſum, vel bilioſum ali-
quid non appellamus quòd pituîtam, aut bilem conti-
neat: ſed quia cum pituîta, vel bile, familiaritatẽ quan-
dam, & ſimilitudinem habet, interdum magis, minùs
aliâs euidentem. Atque hæc quidem ſunt, quæ Gale-
nus ferè ad verbum de facultate purgatoria li. III. ſim
plicis Medicinæ edifferit: quæ breuibus lib. III. ſimpli.
Medicinæ capitul. XVIIII. concludit, dicens adtra-
ctiones fieri à ſubſtātiarum ſimilitudine, adeò (inquit)
vt neceſſe ſit ſimilitudinem quandam ineſſe vtrique
ſubſtantiæ: & quæ adtrahit, & quæ trahitur. hæc ille.
Nunc vt eius de eadem opinio perfectiùs intelligatur,
quid, lib. III. de facultatibus naturalibus, de ea ſentiat,
diſpiciamus. Ibi ille duos trahendi modos conſtituit:
quorum alter vacui vitandi gratia exiſtit: quod quia
natura maximè abhorret (vt aſsiduè experimur, &
Ariſtoteles docet) propterea graue ſimpliciter, ſæpè
contra ſuam naturam ſurſum attollitur: atque ſimpli-
citer leue deorſum eadem ratione deuoluitur. Quare
tractio primò fit, vacui vitandi gratia: quam ob cau-
ſam, calor ad ſe perpetuò trahit, vt in eius locũ, quod
calore diſſoluitur, aliquid cedat. Quæ non infirma ra-
tio eſt, cur calidum perpetuò trahat (vt inferius ex Ga

» leno docebimus) etſi fortiùs illud trahat, quod eſt
» ſubtilium partium: Alter eſt trahendi modus, ratione
qualitatis à tota ſubſtantia operantis, ex qua tractio
» per ſimilitudinem trahentis, & tracti coaleſcit, vt ibi-
» dem Galenus refert. Aliter, inquit, aër in folles, & ſan-
» guis ſubtilis à venis in arterias trahitur, & aliter fer-
» rum à magnete. Differunt præterea, idem ait, hi duo
» trahẽdi modi: quia vacuum primò trahit quod leuius
» eſt: poſtea quod grauius. Sed quod affinitate qualitatũ
» attrahitur, aliquãdo, quod grauius eſt primò trahitur:
» ſi ſors ita tulerit: aliquando, quod leuius. Differunt
» itẽ hi duo trahẽdi modi: quia quod virtute vacui tra-
» hitur, à propinquo, & remoto trahitur: veluti per ob-
» longam fiſtulam vinum, vel aquam multùm diſtan-
» tẽ vacui virtute attrahimus. Cæterùm quod affinitate
» trahit, vel à totius ſubſtantiæ ſimilitudine, quod iuxtà
» eſt: nõ quod remotũ, trahere poteſt. Experimur enim
ferrũ, ſi lõgè diſtet ab Herculeo lapide trahi non poſſe,
multũ remoto: vt neq; paleam à ſuccino procul diſtan
te. Quamobrem dicit Galenus, venas corporis, quæ in
primo ſuo ortu ſunt magnæ graciles fieri, vt per vni-
uerſum corpus diſtributæ, ſingula membra ab ipſis ve
nis ſibi vicinis, vitute illius affinitatis: vel ſimilitudi-
nis nutrimentum faciliùs ſibi trahere poſſint: quia à
multùm remotis corporis partibus trahere non poſ-
ſunt: ſed vicinæ à vicinis viciſſim trahunt. Atque hæc
quidem ſunt, quæ Galenus, de ratione purgatoriæ per
excellentiam facultatis, Medicorum omniũ primus
multis in locis ſcripta reliquit.

Galeni,

Galeni, de purgatrice Medicamentorum per excellentiam purgantium facultate, opinionem, vetuſtiſsimorũ & Philoſophorum, & Medicorum doctrinis, atque inſtitutis aduerſari ſequens caput oſtendit.

CAP. IX.

HIPPOCRATES ille, qui & tẽpore, & eruditione veteres non ſolùm Philoſophos, ſed etiam Medicos ſuperauit, Sectione II. Aphoriſmorum, autor eſt (cuius nos alibi meminimus), corpora impura, quò plus nutriuntur, eò magis lædi. Quam eius opinionem Plato in Timæo, & poſt vtrunque, Galenus, lib. I. ſimplicis Medicinæ, cap. vltimo, ab impuris corporibus, ad impuros hominum animos tranſtulerunt, quòd ij errore imbuti, niſi dedoceantur, & velut quodammodo repurgentur, ſynceram, atque concordem veritatem haudquaquam percipere queant. Qua vel vna ratione viri docti, intelligenteſq; commoti, falſas opiniones (ſi quæ ſint: vt profectò multę eſſe ſolent) penitus improbãt, atque conuellunt, priuſquàm ſuã de re propoſita opinionem demonſtrare aggrediantur. Quam ob cauſam, priuſquàm ad facultatis verè purgatoriæ veram interpretationem perueniamus, Galeni, de facultate per excellentiam pugatrice, qua de hoc loco diſputare conſilium eſt, aſſertiones, partim, clariſsimorum Philoſophorum, præſtantiſsimorumque Medicorum teſtimo

nijs: multiplici partim ratione refutabimus. Hippocrates igitur (vt ab eo, qui Philoſophorum, ac Medicorum omnium doctiſsimus eſt habitus, inſtitutum noſtrũ docere auſpicemur) de facultate hac, à totius ſubſtantiæ proprietate, ſecundum poſitionem Galeni, in purgantibus Medicamentis operante, nihil omnino ſcripſit, ac ne quicquam ſuo tempore quidem audiuit: ob eamq; cauſam contra illam opinionem nihil prorſus ſcribere laborauit, vel ipſo Galeno teſte in libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Si enim ea, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate operatur facultas, tam latè pateat, vt vegetabilium omnium radices, & purgantia propriè medicamenta omnia ſuccos ſibi proprios: hæc à toto corpore, illæ à terra eiuſdem proprietatis à tota ſubſtantia operantis ratione trahant (vt aſſeuerauit Galenus) veriſimile non eſt Hippocratem, qui tanta, tanque ſolerti, & curioſa rerum naturalium, valetudini præſertim humanæ inſeruientium, indagine cauſas perueſtigauit, eas ſilentio tam muto, præterijſſe: quando potiſsimùm & Medicis, & Philoſophis (ſi in ea re Galeno fides habeatur) ſummoperè neceſſariæ eſſe videantur. Aſclepiades inſuper, & Eraſiſtratus, eorũque imitatores Eriſiſtratij, ſiue Aſclepiadę Philoſophi, & Medici percelebres, qui Galenũ (longo tamen poſt Hippocratem interuallo) præceſſerunt: nihil vſquam tale ſomniarunt: ſed potiùs contrà, facultatis per excellentiam purgatoriæ cauſas eſſe docuerunt, nõ occultas iſtas, informeſq; proprietates: ſed calorem Medicamentorum immoderatum, eterogeneos ſuccos mixtos in ſanguine diſgregantem, atq; à ſuc-

à ſuccis alijs ſecernentem, & attrahentem , ob eamq́ue cauſam (vt dicere ſolitus erat Aſclepiades) diſgregan do eoſdẽ ſuccos diſgregatos quaſi gignentem , tãdémque ſuo irritamento purgantem. Eraſiſtratus etiam in hanc Aſchepiadis opinionem pedibus iuit , ac ſuccos per medicamenta propriè purgantia trahi exiſtimauit, purgariq; ſucceſsione vacuati, & irritamento: quę non niſi calore immodico fieri ſolent. Quæ cùm ita ſint, tamen eorum placita, & inſtituta Galenus rationibus multis, & quàm par ſit prolixioribus: ſed ad eorum extinguendam opinionem parum admodùm facientibus, plurimis in locis eſt conatus euertere. Non enim facultatem in purgantibus Medicamentis ſuccorum attractricem , & purgatricẽ autores illi negabant (quòd eis falsò Galenus imponit) vt pote qui ſuccorum à corpore attractionem, & purgationem apertiſsimè intuebantur. Sed attractionis, aut purgationis cauſam, ei , quam poſteà Galenus poſuit, longè diuerſam attulerunt: quorum deinceps opiniones, ſi ſanè intelligantur, Galeni ſententia (hac ſaltem in re) multò probabiliores eſſe multis rationibus infrà demonſtrabimus. Tum prætereà Ariſtoteles multis in locis, potiſsimumq́ue ſectione prima Problematum, illorum dogmati ſuffragatur, cùm ait: purgantia Medicamenta maximè ob id purgare, quia cùm à vẽtre humano diſſolui poſsint , ipſa per vniuerſum corpus diſperſa, ſuo potiſsimũ colore, ſuoq; nidore ingrato coctioni ſunt cõtumacia, ac prorſus incoctilia. Quapropter corpus cõmouent, atq; exagitant, adeò vt naturã, ad excernendam rem noxiam , & incoctilem excitent

& impellant. Qua ratione Medicamenta purgantia ad ventriculũ,& inteſtina, vnà cum ſuccis quibuſdam, calore medicamenti attrahente, & natura impellẽte, per eoſdem meatus relabuntur, per quos nutrimẽtum a ventriculo, & inteſtinis, ipſaq; adeò purgantia medicamenta in totum corpus prius diſtribuebantur. Quæ res, inquit Ariſtoteles, purgatio dicitur. Quo in loco proprietatis à tota ſubſtantia operantis nullam prorſus mentionem iniecit. Ac ne Philoſophorũ quidem, aut Medicorum quiſpiam, qui ante Galeni tempora floruerunt, Alexandro tamen Aphrodiſ. Galeni contemporario dempto, qui hac in re cum Galeno ſenſit, licet alioqui Ariſtotelicæ diſciplinæ fuerit ſtudioſiſsimus imitator nouiſsimè Ioannes Meſuë, vt ſuo tempore Medicus non pœnitendus. Galeno apertè aduerſatur dicens, purgans medicamentum purgare, non quia ſimile, aut contrarium ſuccis purgandis: ſed quia tale vt paulò pòſt fuſiùs interpretabimur. Quocirca ſummorum Medicorum, ac Philoſophorum autoritas Galeno, in hac facultate propriè purgatrice reclamat: præterquę eam, ratio etiam multiplex, atque virilis, quemadmodum paulò-pòſt demonſtrabimus. Cæterùm priuſquàm ad cętera properemus mirari ſubit, qua ratione Galenus, multis in locis, potiſsimeque lib. III. ſimplicis Medicinæ cap. XXIIII. aſſerere audeat, ſe demonſtraſſe in Commentarijs ſuis de facultatibus naturalibus, attractiones quaſdã, quales potiſsimùm ſunt eæ, quæ fiunt à purgantibus medicamentis, fieri à qualitatum, quę in ſubſtantijs inueniuntur, proprietatibus. Quæ Galeni aſſertio viſa eſt, multis non parum

rum inepta, atque abſurda rationibus, ipſiq́ue Galeno repugnans, qui lib. III. de Præſagatione ex pulſibus, ait, ad proprietatem illam confugere, quæ exprimi nequeat: qualis eſt hæc, quæ à tota operatur ſubſtantia, eius doctoris eſſe inſtitutum, qui nihil docet. Quę ſi vera ſunt (vt ſunt profectò veriſſima) quî de proprietate illa demonſtrationes conflare potuit, quæ (eodem autore lib. VI. ſimplicis Medicinæ, alijſq; locis multis) prorſus eſt extra omnem vſum, via & ratione conſtantem? Hæc ſi ita ſunt, dicat, quæſo, Galenus, quas de huiuſmodi proprietate à tota (vt aſſerit) ſubſtantia operante demonſtrationes excuderit, aut vnde illarũ principia emendicare potuerit. Cùm ipſe præſertim dicat, li. I. alimentorum, & I. ſimplicis Medicinę, cap. XXXV. omnis demonſtrationis principia, & inuentionis, ab ijs quę ſenſui, vel intellectui nota ſunt, originem ducere. Intellectui quidem, quia ex Ariſtotele lib. II. τῶν ὑςέρων ἀναλυτικῶν, innata eſt nobis potentia, per quam facilè aſſentimur primis principijs debitè nobis oblatis. Ea igitur ratione, de illa proprietate nulla demonſtratio fieri poteſt: ſi Galeni eadem de re opinio vera ſit, de qua nulla intellectui per ſe nota, & multis euidens propoſitio enũciari poteſt. Sed ne vlla quidẽ fieri experiẽtia, certè ex arte conſtans: de qua loquitur idẽ Galenus, lib. II. ſimplicis Medicinæ. cap. XI. Experimur ſanè Scammoneam bilem purgare, & ſenſui notum, eſſe fatemur: ſed non continuò quicquam de eadẽ proprietate ſæpius dicta experimur: quia neſcimus an à Medicamenti proprietate à tota ſubſtantia operante (vt putat Galenus) an potiùs ab eiuſdem contumacia

incoctili, & multò calore) quemadmodum Ariſtoteles, Eraſiſtratusq; ſenſerũt) à Scammonea bilis purgetur. Quoniam ergo Galenus de ſua illa proprietate, à tota ſubſtantia (ſaltem in purgantibus medicamentis) operante nihil potuit, neq; ſenſui euidés, neque intellectui notum oſtendere: idcirco nullam ſcientiæ efficientem demonſtrationem in medium, de eadem, afferre potuit. Nam vel eam ob cauſam ſcribit Ariſtoteles lib. I. de partibus animalium, cap. V. paucas de iis, quę æterna, perpetuaq; ſunt, demonſtrationes fieri poſſe: quia, inquit, ſenſui parum apparent. Quamobrem iudicet candidus lector, quas Galenus de huiuſmodi proprietate demonſtrationes fabricare potuerit.

Scribi à Galeno tria trahendi genera, quorum nullum eſt, quod per ſuas cauſas demonſtrari non poßit.

CAP. X.

VT AVTEM faciliùs explicemus, qua facultate Medicamenta per excellentiam purgantia ſuccos purgandos attrahãt, & per aluum, vel ventriculum ſuperiorem expurgent, illud intelligendum eſt, à Galeno tria eſſe in vniuerſum trahendi genera conſtituta: quorum primum eorum eſt medicamentorum, quæ qualitate elementari, calore videlicet, trahunt. Nam calidum perpetuò trahit, potiſsimùm quando eſt ſubtilium partium: vt tradit Galenus lib. V. ſimplicis Medicinæ, cap. XVI. ſicut frigidum

gidum omnino repellit. Secundum genus eſt eorum, quæ vacuati ſucceſsione attrahũt: cuius Galenus meminit lib. III. facultatum naturalium (vbi fuſiùs hoc genus trahẽdi perſequitur) atq; quod leuius eſt primò trahi: deinde verò, quod grauius, atque hi duo trahendi modi cùm Medico, tùm Phyſico valde ſunt generales: quia, qualiacunque, ſiue conuenientia, rei trahenti: ſiue diſconuenientia, his duobus trahẽdi generibus attrahuntur: ſi modò ſint in quantitate conuenienti, & in agendi facultatis trahentium circumferentia. Vnde adhæc referri poſſunt multæ trahentium ſpecies, vt, ſanguinis miſsio, cucurbitula, ſanguiſuga, dolor, frictio, arcta ligatura: quæ omnia, partim calore, partim vacuati ſucceſsione trahunt. Tertium trahendi genus eſt, apud Galenum, eorum, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate attrahunt. Qui trahendi modus ea ratione prioribus duobus contractior eſt, quia ſolùm ad id, quod natura conueniens eſt trahenti, refertur: licet idem Galeno valde diffuſum ſit, latiſsimeq; pateat, quando li. I. facultatum naturalium, rebus quibuſcunque poteſtatem quandam ineſſe aſſerit, qua hoc trahendi genere qualitatem ſibi attrahant conuenientem: quo in loco (vt ſæpe ſolet) appellatione qualitatis, pro ſubſtantiæ nomine abutitur, atque inſuper ait, Quęcunque hoc genere trahendi attrahunt, tacito, atque mirabili naturarum conſenſu attrahere. Quo ſignificato lib. II I. ſimplicis Medicinæ, cap. XXIIII. dicit, magnetem ferrum, vegetabilia omnia, perinde atque purgantia propriè medicamenta, ſuccos ſibi proprios ad ſe trahere, à totius videlicet ſubſtãtię pro-

prietate,ſiue ſimilitudine. Ac eo loquendi modo naturalium rerum Phyſicas rationes, plurimùm diuerſas promiſcuè in hac nubila, & latebroſa totius ſubſtantiæ proprietate, ſimilitudinéve confudit. Quodq; abſurdius mihi videtur, nullam eorum omnium, quæ hoc tertio trahendi genere attrahunt, poſſe dari rationem, malè contendit. Nam de vegetabilium attractrice facultate, quam loco nuper citato, ad hoc genus trahendi tertium refert, paulò antè contrarium docuimus: id ipſum pariter de purgatrice per excellentiam, facultate ſequenti capite, plenè, cumulateq; præſtaturi. Nunc ad alia, quæ vult Galenus hoc tertio trahendi genere contineri veniamus: ac primùm quidem à magnete, cuius Galenus meminit, exordiamur. Is igitur ferrum trahit, non ſolùm quòd animam habeat (vt malè cenſuit Thales Mileſius, qui primus de natura rerum traditur diſputaſſe) neque propter inſectilium corpuſculorum complexum (vt falſò exiſtimauit Epicurus) neque totius ſubſtantiæ proprietate nemini nota, quæque nulla ratione demõſtrari queat (vt Galenus aſſeruit, ac poſt eum Medici penè omnes) ſed ab ipſius forma ſubſtantiali (vt antè docuimus) tanquam à primò, & per ſe mouente, & tanquàm ipſius natura potiſsima, (vt teſtatur Ariſtoteles lib. 11. Phyſicorum) atque ab eius temperamento natiuo, velut inſtrumento, quo eius ſubſtantiæ forma efficiens in ſuis operationibus vtitur: ceu cauſa ſecunda, medioque priuata. Itaque magnes non ſine Phyſica cauſa, quæque demonſtrari poſsit, attrahit ferrum: ſed propter aliquod bonum. Omne

enim

enim agens naturale propter finem aliquem operatur: qui, ſecundum Ariſtotelem, lib. I I. Phyſicorum, habet rationem boni, veri, ſiue apparentis. Omnia enim vt à ſummo bono, mediatè vel immediatè originem trahunt: ſic natiuo quodam inſtinctu & bonum appetunt omnia, & propter bonum aliquod operātur: vt in prima Philoſophia docet Ariſtoteles. Magnes igitur à forma ſubſtantiali, tanquam à cauſa principe effectionis, & ab eius temperamento, ferrum trahit, propter bonum aliquod ei, à ferro attracto, futurum. Nec verò quiſquam mirari debet, cur, ferri attractricē magnetis facultatem, à cauſa finali, quæ rebus naturalibus omnibus eſt communis, demonſtrare velimus. Tametſi enim finis in rebus naturalibus non operetur (vt Ariſtoteles ſcribit) rebus tamen naturalibus ſuppoſititia quædam neceſsitas, pendet à fine: ſicut in ijs quæ in ſpeculationē veniunt, à principio (autore Ariſtotele lib. I I. Phyſicorum, capite vltimo) ob eamq́ue neceſsitatem in rebus naturalibus à fine pendentem, bona hæc eſt cōcluſio, Terrę ſuccus aliquis radici plantæ alicuius nutriēdæ conueniens eſt, & in circunferentia agendi facultatis eius radicis nullo modo impeditæ cōſtitutus. Idem igitur ſuccus à radice, vel trahitur, vel paulò-pòſt trahetur: non alia ratione, niſi quia ei radici conuenit, & bonus eſt. Idem dicere licet de ferro, in quantitate conuenienti, & idonea diſtantia ad magnetem, nullo modo impeditum, poſito: quæ omnia boni gratia, veri, vel apparentis naturæ neceſsitate attrahuntur: ſiquidem (vt antè diximus) à forma, & fine in rebus naturalibus pendet omnis

neceſsitas quamobrem ſicut Phyſicus, atque artifex, à forma, & fine ſuas definitiones deducũt: ſic & ſuarum demonſtrationũ prima principia ſumũt (quemadmodum Ariſtoteles notat loco eo, quem paulò-antè poſtremum ex eo adduximus) vt à fine ac forma Medicus, ſiue Phyſicus poſsit magnetis ferri attractricem facultatem demonſtrare. Adhæc, vt magnetis temperamentum quo, velut inſtrumẽto, ipſe, ſiue eius forma ſubſtantialis, in ſuis vtitur operationibus, in genere nobis ſolùm, non in ſpecie noſcitur: hoc eſt, generali, non ſpeciali ratione, qualeq́ue dictum ſit in ſpecie temperamentum: ſic magnetis, per eius temperamentum generale actionem, generica modò ratione cognoſcimus, id eſt, ſub boni ratione generali, non ſpecifica, nempe, quale ſit hoc bonum in ſpecie, quod magneti à ferro attracto aduenit. Quapropter ratione Phyſica generali non autem ſpeciali, demonſtrari poteſt, ferrum attrahi à magnete: quod ei honum ſit. Nõ autem, qua ſpecie boni ferrum ab eodem trahatur. Præterea, ſicut Phyſicus omne genus cauſæ conſiderat: ita per omne genus cauſæ demonſtrare poteſt, & quæ minùs nota ſunt, notiora facere: vt Ariſtoteli placet lib. II. Phyſicorum. Itaque non immeritò, neque ſine arte ſolerti, Medicus, qui eſt, ἀνθρωπίνου σώματος οἷου ὑπάλληλος φυσικὸς magnetis ſuccini, aliorumq́ue tacito (vt vocant) naturarum conſenſu operantium facultates attractorias, quibus ferrum, paleam, vel alia id genus attrahunt, per eorum naturales cauſas, ex Ariſtotelicæ Philoſophiæ decretis demonſtrare poteſt, notioreſq́ue facere. Siquis enim quærat, vnde fiat magnes? Aptè reſpondebimus,

ex materia,& forma. Quòd ſi exigat,per quid magnes operetur,ſiue ferrum trahat? Non abſurdè dicemus, per eius ſubſtantificam ſiue ſpecificam formam, tanquàm per eius primum,atque pręcipuum agens,ac per ipſius temperamentum natiuum,velut per formæ instrumentum. Ac ſi demum ſciſcitetur,propter quid operetur magnes? Dicemus propter aliquod bonum, in genere:non in ſpecie cognitum. Sin autem interroget, quare potiùs agat in ferrũ, ipſum trahendo,quàm in aurum,vel lignum? Reſpondebimus,propter bonum aliquod ei ab attracto ferro,ac non ab alijs adfuturum. Quibus ex cauſis, à fœcundo naturæ ſinu depromptis, iure optimo Medicus poteſt, deferri à magnete,aut aliorum eiuſdẽ generis attractione,demonſtrationes contexere. Quæ cùm ita ſint,malè Galenus, eas,quæ tacito naturarum conſenſu (vt voluit) fiunt operationes,iam obſcuras omnes conſtituit,ab omniq́ue recta docendi via, & ratione exterminauit: cùm ex tam multis illarum Phyſicis cauſis, & Medici, & Phyſici poſsint (ſi Dialecticen, vel ab ipſo, vt aiunt, limine, ſalutarint) magnetis, & aliorum ſimili modo attrahentium,attractorias facultates,per ſuas naturales cauſas demonſtrare. Scire enim opinamur (vt proditum ab Ariſtotele eſt,lib.1.Poſteriorum) cùm cauſas rerum cognoſcimus,propter quas res ſunt,& quòd rerum ſint cauſæ,& quòd non contingat,aliter res ſe habere. Quocirca,cùm Phyſicas cauſas cognoſcimus,à quibus,per quas,& propter quas magnes ferrum attrahit,ſuccinum, paleam:quodq́ue non contingit rebus trahentibus,& tractis,non adulteratis, aut impeditis,

aliter fieri: meritò quidem certè Medicus, ſiue Phyſicus, ex ſuperioribus attractionum cauſis nō Phyſicas ſolùm reddere rationes, ſed ex iiſdem etiam demonſtrationes poteſt conſtruere.

Medicamenta per excellentiam purgantia, ſuccos ſibi proprios à totius ſubſtantiæ occulta proprietate non attrahunt, neque à ſubſtantiarum ſimilitudine, aut familiaritate.

CAP. XI.

DEMONSTRATVM eſt à nobis capi. IX. Medicamenta propriè purgantia humores ſibi proprios à totius ſubſtantiæ ſimilitudine, ſiue proprietate, non attrahere, locupletiſsimorum, præclariſsimorumque autorum teſtimonio. Nunc illud ſupereſt, vt idem multiplici ratione corroboremus, priuſquàm facultatis quomodocũque purgatoriæ veram rationẽ aperiamus. Si prius ſtudioſam iuuentutem cõmonuerimus, non paucis neque inualidis nobis opus eſſe rationibus ad multorum, eorumque celebrium Medicorum opinionem tẽpore tam longinquo probatã, & penè omnibus, & nemine ad hæc noſtra uſque tempora reclamante firmatam, emendandam & prorſus immutandam: quod quàm arduum ſit, quamúe lubircum, eorum eſto iudicium, qui nulllius ſolent iurare in verba magiſtri: aut potius, qui ſanè nôrunt, quàm ſit facile ſpecie recti decipi:

cipi:qua vna ratione dicendorum prolixitati non inui tus candidus lector indulgebit. Sed ad inſtitutum redeundo: quia purgantia propriè Medicamenta, in ventriculo exiſtentia (vt refert Galenus lib. III. facultatum naturalium, & lib. IIII. ſanitatis tuendæ, atque alijs multis in locis) à toto corpore ad ventriculum, & inteſtina ſuccos ſibi proprios, per eoſdem attrahunt meatus, per quos nutrimentum in totum corpus diſtribuitur: idcirco ex ijſdem verbis euidens eſt, vel ipſum hac in re ſecum pugnare: vel purgantia Medicamenta ſuccos ſibi proprios à tota ſubſtantia non trahere, ſiue purgare. Siquidem, quæ à tota trahunt ſubſtantia (vt paulò-antè ex Galeno docebamus) trahere non poſſunt: niſi à propinquis, & valde vicinis partibus: nulla autem ratione à remotis, vt contrà, quæ vacui ſucceſsione ad ſe trahunt, ea vtrinque attrahunt. Magnes enim, ferrum, aut ſuccinum, paleã ſi procul à trahentibus diſtent, trahere non poſſunt: vt, præter Galenum, aperta docet experientia. Quare purgantia proprie Medicamenta in ventriculo, vel inteſtinis exiſtentia, ſuccos à partibus corporis remotis à tota non trahunt ſubſtantia. Neq; verò obijci poteſt, purgans Medicamentum in ventriculo diſſolui, vt in totum corpus diſpergatur, & vicinum fiat ſuccis ſibi proprijs attrahẽdis, & ſic ab omni parte corporis ad quam prius diſtribuebat, illos ſuccos, trahere poſſe: contrarium enim apertè docet Galenus lib. IIII. ſanitatis tuendæ, cùm ait, purgãtia Medicamenta, craſſo, vt aiunt, modo eſſe ferenda, vt in ventriculo diutiùs maneant: donec ad eundem, vel inteſtina

ſuccos trahant purgandos,aliàs,futurum eſt, inquit,ſi ſubtiliter medicamenta terantur,quia tunc in corporis profundum ferũtur, vt non aluum,ſed vrinas moueant. Dioſpoliticum enim,ait,quoties per ipſum ventrem deijcere volo,craſsius ipſum efficio, quatenus in ventre diutiùs manens, ſuccos purgandos ad ipſum vel inteſtina à toto corpore trahat. Ex quibus rationibus ab ipſo etiam Galeno ſumptis, notum euadit,vel Galenum ſecum hoc loco pugnare: vel purgãtia medicamenta à totius ſubſtantiæ proprietate non purgare: verũ alia facultate à nobis poſteà explicanda. Quod ipſum alia ratione oſtenditur. Nam ſi talis par excellentiam facta purgatio, fiat (vt vult Galenus lib. I I I. ſimplicis Medicinæ,cap. X X I I I I.) à ſubſtantiarum ſimilitudine,ſiue familiaritate ſequeretur corporis humani,quod purgatur, naturam, & medicamenta per excellentiam purgantia,ſimilia omnino eſſe, & familiaria. Hoc autem eſt cõtra experientiã & ipſum Galenum,in libr I I. de ratione victus acutorum,alijſq; locis non paucis: vbi docet,eadem Medicamenta,corporibus,quæ ab ipſis purgantur, eſſe deleteria,atque peſtifera, tantùm abeſt, vt ipſis ſint ſimilia familiariáve: prius aſſumptum ex eo probatur: quia Medicamẽtum propriè purgans, vt pote veratrum, à totius ſubſtantiæ ſimilitudine Galeno bilem atram trahit, ſiue ſurſum,ſiue deorſum purgando. Quam bilem natura ad ſplenis nutritionem ab eadem ſubſtantiæ totius ſimilitudine,& familiaritate (vt Galenus ſentit) trahebat. Sunt igitur corporis quod purgatur, aut ſaltem ſplenis natura,& veratrum inter ſe ſimilia, & familiaria.

Comple-

Complexionē eſſe veram Mathomaticum illud axioma oſtendit, quod ab Ariſtotele citatur lib. 1. Phyſicorum, Quæcunq; vni tertio ſunt ſimilia, ea inter ſe ſimilia eſſe neceſſe eſt. Sunt enim & ſplenis natura, & veratrum melancholico ſucco ſimilia, aut familiaria: quando propter vtriuſque cum dicto ſucco ſimilitudinem, ſiue familiaritatem (Galeni opinione, atque ſententia) idem ſuccus ab utroq; trahebatur, & ſic corpus quod purgatur: aut ſaltem ſplen, & veratrum, inter ſe ſunt ſimilia, ſiue familiaria. Conſequens autem eſſe falſum docet Galenus loco priùs citato. Ergo veratrum, aut aliud quoduis purgans medicamentum ſuccum purgandum non trahit à ſubſtantiarum ſimilitudine, ant familiaritate. Reſpondebit fortaſſe Medicus, huiuſcemodi proprietatibus, aut ſimilitudinibus irretitus, corpus quod purgatur, & veratrum, non vna ſimilitudine, ſed multis, ijſq; diuerſis ſucco nigro eſſe ſimilia. Quæ mihi certè videtur indigna refutatione reſponſio. Inde enim ſequeretur, infinitas ſimilitudines, aut familiaritates, ſiue potiùs tot chimeras pluſquàm Lycias ociosas eſſe in atra bile, aut alijs ſuccis à varijs Medicamentis purgandis, quot ſunt Medicamenta Bilem atram, aut alios ſuccos purgantia. Quod eſt valde abſurdum: ſiquidem præter illas ſimilitudines in eadem bile exiſtẽtes tot etiam eſſent in eadem ſimilitudines aliæ ſiue familiaritates, quot ſunt membra totius eſſentiæ ſimilitudine bilem illam atram ad ſui nutritionem attrahentia, (vt nemo non videt) ſi Galeni loquendi modum imitabimur. Hæc autem quantum à veritate aliena ſint: vel cæco facile eſt iudicare.

Decipitur igitur Galenus idque grauiſsimè libro III. ſimplicis Medicinæ, capitul. XXIIII. dicens attractiones fieri à ſubſtantiarum ſimilitudine: adeò (inquit) vt neceſſe ſit ſimilitudinem aliquam ineſſe vtriq; ſubſtantiæ, & quæ trahit, & quæ trahitur. Hęc ille. Quæ falſa etiam eſſe, alia ratione eaque euidenti oſtendo: tum primò, quia ſubſtantiarum nulla eſt ſimilitudo (ſi propriè loquamur) ſaltem primò & per ſe, ſed ſolùm qualitatum (vt vult Ariſtote. in Cathegorijs) ſecundum quas ſubſtantiæ (licet ratione æquiuoca) dicuntur ſimiles: tum ſecundò, quia licet aliqua ſimilitudo ſit qualitatum: ipſa tamen nuſquam eſt: quia neque ſubſtantia eſt, neque qualitas, ſed neque aliud quicquam in rerum natura exiſtens: nam exempli cauſa niuem, & Cignum albedinis vtriuſque gratia ſimilia dicimus: quorum ſimilitudo ab anima ſolùm ducit originem albedinem vnius cum alterius albedine conferente. Porrò dicta ſimilitudo nihil prorſus dictis animalibus, neque addit, neque adimit: quia denigrato Cigno continuò utriuſque corrumpitur ſimilitudo, nulla re in niue mutata. Sicut Plato moriente eius filio vnico deſinit eſſe pater, nulla in eodem facta tranſmutatione. Qua ratione Ariſtoteles libro IIII. Phyſicor. capitul. XIIII. dicit, ſi nulla eſſet anima, nullum eſſe tempus: cùm (ſecũdum ipſum) nil aliud ſit tempus, quàm numerus motus numeratus ſecundum prius & poſterius: Deficiente igitur anima, quæ motum numerat, confeſtim deeſſe & motum numeratum eſt neceſſe, qui Ariſtoteli eſt tempus. Anima igitur deficiente, tempus vt deficiat oportet. Cùm igitur ſimi-

ſimilitudo & alia relatio omnis nihil aliud ſit quàm rei vnius ab anima ad alteram comparatio facta: fieri non poteſt, vt attractiones in rebus naturalibus fiant à ſubſtantiarum ſimilitudine. His igitur noſtris, vel forſan ſimilibus rationibus motus noſtra ætate quidam Medicus (vt anſam præripiat, aut potiùs viam præcludat Phyſico aut Medico ſimilitudinis rationem perueſtigare volentibus) dictam ſimilitudinem (rationibus ſatis leuibus) ad diuinum quendam refert calorem, quatenus diuinitatis ſplendore humani intellectus acies retuſa, & caligans dictam ſimilitudinem percipere nonpoſsit, & ſic abdita maneat & occulta. Sed nos de calore illo diuino (Deo duce) fuſiùs alio in loco, cùm de morbis etiam diuinis agemus, vbi dictum calorem à ſolio diuinitatis ad elementarem naturam vindicabimus. Sed de his hactenus. Nunc docere conabimur Medicamenta per excellentiam purgantia ſuccos ſibi proprios, ceu vegetabilia nullo modo à ſubſtantiarum familiari amicitia ad ſe trahere (eo ſaltem modo vt exiſtimauit Galenus lib. III. ſimplicis Medicinæ capitul. V.) Quia abſurdum eſt, & nulla ratione conſtans, eam ipſam facultatem, qua vegetabilia omnia ſiue plantæ ſint, ſiue animalia quicquid ſuæ nutritioni conueniens rapiunt & attrahunt amicitiam ſiue familiaritatem nuncupare: veluti ſi planctas dicamus ſuccos ſuæ nutritioni cõuenientes & neceſſarios à terra, vel aliquo corpore vegetabiles alicuius familiaritatis vel amicitiæ gratia rapere, aut ad ſe trahere: quos ſuccos ſimul atq; traxerũt alterant, corrumpunt, tranſmutant prorſus: vt eis reficiantur.

Aut potius velut ſi quiſpiam dicat vulpem animalium in vegetabiliũ ſenſitiuorum genere, gallinam, aut lupum, capram, tanquam ſibi amicas & familiares animantes rapere, ſtrangulare, lacerare, & deuorare, propter ſinceram ſcilicet & innatam inter dictas animantes amicitiam: quas nos amicitias ſiue familiaritates, re vera plurimùm occultas ſiue abditas exiſtimamus. Medicamenta igitur propriè purgantia ſuccos à corpore toto trahunt, non vt ſibi familiares & amicos, ſed potiùs tanquam eorum facultati purgatrici obedientes & idoneos, vegetabilia contra ſuccos à corpore vegetabili vel à terra ſibi rapiũt & attrahũt, non quidem alicuius amicitiæ cauſa, ſed potius quia eorum nutritioni ſunt conuenientes & neceſſarij. Malè igitur, pro purgationum ratione, per excellentiam factarum, ad umbroſas, inexplicabilesq́ue amicitias, aut ſimilitudines, quæ, inanes cùm ſint, nihil medico afferunt vtilitatis, Medici penè omnes confugiunt: ex quibus vt cætera taceam ſexcenta incommoda concluduntur, hæc etiam Phyſico repugnant dogmati, quo dicitur, nihil in natura eſſe otioſum. Inſuper, veratrum, vel quoduis aliud medicamentum propriè purgans, propter longam ipſius in corpore humano, ſuccisq́ue in eo contentis, conſuetudinem, atq; vſum non ſolùm fit naturę & corporis ſuccis familiare: ſed etiam ſibi magis familiarem, & quodammodo magis ſimilem reddit corporis & ſuccorum eius naturam: vt inferiùs latiùs explicabimus. Aſſuetos tamen veratri vſui parum, aut nihil omnino illud mouet: vt Ariſtoteles docet, Sectione prima problematũ, & Theophraſtus

ſtus hiſtoriæ plantarum lib.IX.capit.XVIII.vbi experientiam affert,de Thraſya paſtore,herbarum peritiſsimo,& Eudemo Chio,qui,poſt multum veratri vſum, multis eius manipulis hora vna deuoratis, aut multis potionibus ſimul ſumptis,tantùm aberat vt purgarentur:vt ne mouerentur quidem. Non diſsimile Galenus aſſerit lib .v. Sanitatis tuendæ. Quia igitur frequenti conſuetudine Medicamenti vnius cum natura,aut ſuccis ei cognatis,augetur inter vtrumque, hoc eſt Medicamentum,& naturam,aut naturæ ſuccum, familiaritas,ſiue amicitia:facultas autem purgatoria minuitur, & ſepiùs tota aufertur: vt ratio, & experientia indicant:Non eſt igitur Medicamenti familiaritas:aut amicitia cum ſuccis purgandis,purgationis ratio : ſed cauſa alia quædam, qua de ſuo loco,atq; tempore diſſeremus. Quod ipſum hinc etiam perſpici poteſt: quia Medicamentum purgans trahendo ſuccum ſibi proprium à toto corpore,vel illud eſt,dum trahit, in ventriculo,vel in partibus ab illo diſtantibus. Priùs autem dici non poteſt:Quia (vt paulò-antè docuimus) quæ à ſubſtantię totius proprietate trahunt,à longinquo non trahunt,ſed à partibus tantùm vicinis:vt, præter Galenum,Ariſtoteles autor eſt lib.VII. Phyſicorum, capit.II.dicens, omne trahens,eſſe cum tracto : ſicut omne mouens,cum moto. Quare non poteſt, purgans propriè Medicamentum, in ventriculo exiſtens,à remotis corportis partibus,ſuccos purgandos, à tota ſubſtantia trahere. Quin nec ſi ſit in penitioribus corporis partibus, ſiue à ventriculo multùm diſtantibus,ſuccum ſibi familiarem,ſaltem merito eius ſimilitudinis,

aut familiaritatis,poteſt attrahere: quia, ex Galeno, à corpore toto ſuccos purgãdos ad ventriculũ,& inteſtina trahit (vt paulò-antè docuimus)non ad remotas à vẽtriculo & inteſtinis corporis partes,à quibus, & nõ ad quas, ait Galenus, Medicamentum ſuccos purgandos attrahere. Nec interim illud omittam, vanam etiam fore ſuccorum talem attractionem:quando Medicamentum, ſucco, familiaritatis ratione attracto, haudquaquàm frui poſſet:cùm tamen vt paulò antè dicebamus,nihil ſit in rerum natura (vt vult idem Galenus li.III.Naturalium facultatũ)quod propter ipſam trahẽdi actionem attrahat:ſed potiùs, vt trahens re attracta fruatur. Quod fieri non poteſt,quãdo vtrumq;, & Medicamentum trahens ſiue in ventriculo ſit, ſiue in partibus ab eo remotis,& ſuccus tractus, à toto corpore violẽtè in purgationibus expellũtur. Ex quibus, vt antè,illud cõcludimus,purgationem propriè dictã, à totius ſubſtantiæ ſimilitudine,ſiue proprietate fieri non poſſe. Quod alia ratione conſtare poteſt. Nam accidentia critica,ſiue decernant,ſiue nõ,prorſus ſunt ſimilia accidentibus,dum corpus Medicamento purgatur afficientibus. Ergo,eadem,ſiue potiùs ſimilis videtur eſſe ratio,& criſis,potiſsimè decernentis,& purgationis à Medicamento factę:offenſio videlicet,& perturbãs moleſtia:ſiue irritamẽtũ,quę vtriuſq; excretionis,& criticæ,& à Medicamento factæ ſunt potiſsimę cauſæ. Accidentia enim critica,criſin præcedẽtia,magna ex parte ſunt, vertigo,nauſea,capitis dolor, vẽtris tormina,cordis dolor,ſimiliaq; critica,quæ criſin citò futurã ſolent præcedere,autore Galeno lib.I.de Criſibus.

ſibus,ca.XIIII.propter quorum infectam moleſtiá,nox criſis præcedens,difficilis,vt plurimùm redditur, auto re Hippocrate lib.II.Aphoriſmorum. Ac eadem quidem accidentia præcedere ſolent purgationes Medicamento factas:præſertim malè procedentes,Galeno teſte in II.Aphroriſmorum Comm. IX. vel ſaltem corpus dum purgatur malè infeſtare.Quare purgatio critica, & à Medicamento purgante propriè facta,ab ijſdem,vel valde ſimilibus cauſis procedunt. Ideoque, vt criſis meliùs excernit, poſt humorum coctioné, Galeno autore in II.Aphoriſmor.Comm.XX.ita purgatio à Medicaméto facta,iuxta illud Hippocratis,Cocta Medicari. His accedit,quòd,ſicut nox leuior criſin cóuenienté ſequi ſolet,Hippocratis eiuſdé opinione:ſic,cóuenienti purgatione,àMedicaméto purgatas, bene fert,& meliùs habet:quemadmodũ & Hippocrates docet,& reipſa quotidie experimur. Quia igiť criticas,& à Medicamento per excellentiam purgáte factas purgatiões ſimilia, vel potiùs eadé accidétia ſequi ſolent,atq; præcedere,(vt à nobis anteà dictũ iam eſt) idcirco neceſſe eſt,vtriuſq; purgatiõis vnã eſſe & eãdé cauſam: nõ ſubſtátiarũ illá quidé proprietaté,aut ſimilitudiné (quemadmodũ exiſtimauit Galenus)ſed calorem,cõtumacemq; corporis moleſtiá,interiora exagitanté,atq; mordenté: propter quã,nõ ꝑpter ſubſtátiarũ ſimilitudiné,natura,(ſicut in criſi decernéte)ſic in vexatione à Medicaméto facta,excernere cogiť.Denique vel id hæc vna ratio ſatis probare poteſt,quòd,hac Galeni poſitione firma,cõſtanteq; manente,colligeretur, Medicamenta purgantia ſuperpurgare non poſſe:

quod eſt contra Hippocratem, in lib. de natura humana, & Galenum multis in locis. Conſequens ex eo verum eſt: quia purgans medicamentum, tum demum ſuperpurgat (autore Galeno li. III. ſimplicis Medicinæ, capitul. vltimo) quando eius perſeuerante moleſta agitatione, morſuque infeſto, cum vaſorum debilitate, & apertione inſolita, ſuccum ſibi familiarem amplius purgare non poteſt: quod alia nulla ratione contingat, niſi vel propter ſucci familiaris defectũ, vel inopiam. Quę enim alia ratio eſſe poteſt? Atqui prior vana, & irrita eſt (etſi Galenus in II. Sect. Aphor. Hippocr. & lib. quos oportet purgare, ita ſentire videatur) quando eius contrarium, ex Hippocrate, de Natura humana, ipſoque Galeno lib. I I. Elementorum, apertè oſtenditur, cùm aiunt: Corpus humanum perpetuò, id eſt, quandiu hac luce fruitur, quatuor in ſe humores continere, pituîtam, bilem vtranque, & ſanguinen. Ob eamque cauſam, Hippocrates ſuccos illos, homini cognatos vocat: quia, ſicut ab ijs, ſaltem quantùm ad partes carneas, conformatur, atque nutritur: ita quoquo modo ipſorum aliquo deſtituatur, corrumpi ſanguinem, atque hominem interire neceſſe eſt: quanquàm ſuccos quidem illos aliquando copioſiores, aliquando pauciores pro ratione temporis, ætatis, regionis, & victus, homo contineat. Quamobrem non proprij ſucci defectu purgans Medicamentum ſuperpurgat, neque propter eius inopiam: quia nulla ratio eſt, cur, ſi Medicamentum, purgans à totius ſubſtantiæ proprietate ſuccum ſibi proprium purgat, quare etiam ſibi familiarem, & proprium (licet in parua ſit quãtitate) nõ purget

get : ſiquidem validas ſemper retinet purgatorias vires: ſed eo demiſſo alienum ſuperpurgat. Quò fit, vt purgans Medicamẽtum ſucci ſibi proprij inopia alienum non ſuperpurgit. Ex quo illud concluditur, ſecundum poſitionem Galeni, Medicamentum purgans nõ poſſe ſuperpurgare: quod manifeſtè falſum eſt, contraque doctrinam Hippocratis. Cæterùm quia hanc ſuperpurgationis materiam, Galenus plurimũ obſcurauit, non ſolùm quando multis in locis dicit, contra Hippocratis mentem, purgans Medicamentum proprij humoris defectu alienũ ſuperpurgare: cùm in humano corpore viuo (vt diximus) eſſe nõ poſsit alicuius cognatorũ humorũ defectus: ſed etiã quando ait, ſanguinem purum, morte adueniente, in ſuperpurgationibus vltimò purgari. Nam, iuxta ipſum, atq; Hippocratem, ſanguis purus, hoc eſt, omninò à ſuccis alijs depuratus, in viuo homine dari non poteſt. Quare, vt ſuperpurgationis ratio, lucis aliquid hoc noſtro commentario conſequatur, dicimus, ſanguinem (vt vult Galenus in Hippocratis li. de Natura humana) in duplici eſſe differentia. Quidam enim eſt ſanguis κατ τὴν ἐξοχὴν, ea ratione ſic appellatus: vel quia ex eo homines omnes & gignuntur (ſaltem quod ad carneas atttinet partes) & nutriuntur: vel, quia hic eſt, qui aliorum humorum naturalium, hoc eſt, pituîtæ, & bilis vtriuſq;, omni vitæ tempore, id eſt quacumque ætate, eſt particeps. Atque huiuſmodi eſt ſanguis, qui à vulnere, vel à vena aperta, ſiue eroſa effluit. Alius eſt purus, hoc eſt, ab alijs humoribus omnibus depuratus, qui (vt poſt Hippoc. docet Galenus lib. 1 1. de Elementis) nun-

quàm in vaſis corporis:niſi ratione,& intelligentia inuenitur. Primus autem, qui per excellentiam,atque antonomaſiam ſanguis vocatur, in elementis, primiſque,ſiue elementarijs qualitatibus,calido, frigido, humido,& ſicco,inuicem mixtis, atq; repreſsis, temperatus ita verſatur: nulla vt earum qualitatũ aliam in corpore ſaltem temperato,iuſtitiali temperaméto, ſuperet.Dicimus autem iuſtitiali temperamento,non Phyſico:quia calor in ſanguine,etiã per excellentiam dicto,ſimpliciter frigus exuperat:& humor,ſiccitaté: vt docet Galenus lib.1. Temperamentorum. Sicut igitur in mixto Phyſico,ſaltem circa mundi medium exiſtéte,authore Ariſtotele lib.11.de ortu,& interitu,eleméta quatuor in copia,atq; virtute,hoc eſt,in ſubſtantia,eorumq; qualitatibus commixtis, atque repreſsis conſiſtunt,citra quorum ſubſtantias,iuſta proportione commixtas,qualitatesq; quatuor debitè téperatas, conſtare mixtũ,& cohęrere nõ poteſt:ita ſanguis, per excellentiã talis,humorũ,quos antè diximus,in uirtute, atq; ſubſtãtia ſemper eſt particeps, ſine quibus,eorumque primis, ac ſecundis qualitatibus,in eo debitè mixtis,& temperatis,repentè corrũpitur:adeò vt hominem,ea ratione,citò interire neceſſe ſit. Itaque ex prædictis,quæ ſunt Hippocratis, neceſſariò ſequitur, dictorum ſuccorum quemlibet, latitudinem certam, eamque magnam,& ſuæ ſubſtãtiæ,& ſuorum temperamentorum ſimul commoderatorum, in ſanguine per excellentiam dicto,habere:in qua conſtitutus homo, inculpatæ, atque integræ eſt ſanitatis (ſaltem, quantùm ad hoc ſpectat) & vltra, vel citra quam ſi

ſucci,

ſucci,eorumque qualitates deficiant: vel exuperent, actûtum ſanguinem ipſum corrumpi,atque hominem mori neceſſe eſt. Quapropter ab hac humorum in ſanguine commixtorum,& eorum temperamentorum, in ea commoderatorum certa proportione,ſiue latitudine:non ab humorum purgandorum defectu,tota ratio ſuperpurgationum colligitur. Quando enim Medicamentum purgans,tantum humoris ſibi familiaris vacuauit, vt ad latitudinis eius extremum terminum purgauerit (& ſi aliqua portio eius ſucci in ſanguine adhuc remaneat)nihil tamen eius ampliùs à ſanguine purgari poteſt, ſine ſanguinis corruptione,atque hominis interitu. Nam ille ſanguis,nullius,vt dictum eſt,ſucci,ex Hippocrate,exquiſitá purgationem, vel ultra debitam latitudinem perferre poteſt, uita animantis durante. Quocirca ſagax,prudens,iuſtaque natura,ſimili ratione in purgationibus immoderatis ſucci reliquias Medicamento familiaris retinere cogitur, ſuccumque Medicamento illum quidem alienum, ſed purgationi aptiorem ſuperpurgare: ac poſt ſecundum,uſq; ad extremum ſuæ latitudinis ſuperpurgando vacuatum:priuſquàm ſanguis eo penitus deſtituatur,tertium aliquem aptiorem ſuperpurgabit:quo etiam ad extremũ ſuæ latitudinis vacuato,priuſquàm eo penitus ſpolietur,inſtãte morte ſanguis ipſe ſuperpurgabitur:quẽ natura tanquã theſaurum recõditum ſuum,vitæq; conſeruandæ apprimè neceſſarium(quia ſuccorum omnium aliorũ,aliqua ex parte,ſemper manet particeps)ad vltimũ vſq; conatum retinet. Quod tamen dictum nemo arbitretur: quaſi ſanguis, qui

morte inſtante vltimò ſuperpurgatur, purus ſit: quia (vt diximus, ex Hippocrate, & Galeno) ſanguis purus nulla ætate, nulloque tempore, ſtante hominis vita, in humano corpore inuenitur: & ſi ab Hippocrate, & Galeno is, qui morte imminẽte educitur, purus vocetur: quia quãtum perpeti natura potuit, ab alijs ſuccis, ad extremum uſque ſuarum latitudinum, depuratus, manet: licet ſimpliciter manere purus non poſsit. Ex quibus, ſubtiliter cõſideranti apparet, cur ſanguinem vltimò natura educat, ſuperſtite etiam aliorũ ſuccorum omnium quantulacumque portione: quæ, quia vitæ prorſus eſt neceſſaria: idcirco prudens, iuſtaque Natura, ſanguinis portionem in ſuperpurgationibus educere cogitur: priuſquàm aliquo ex alijs, à ſanguine, ſuccis penitus deſtituatur, ne homo cognati alicuius defectu intereat. Quod idem vt in ſuperpurgationibus Medicamento factis, ita quoque in coitu nimio, vel ſuperfluo licet experiri, in quo, (vt docet Alexander Aphrodiſieus, I I. Sect. Proble. X I I.) natura portionẽ aliquam ſanguinis per excellentiam dicti, poſt nimiam genitalis ſeminis emiſsionem potiùs, quàm quod genituræ reliquum eſt, emittere ſolet. Genitale enim ſemen, alimẽti vltimi, perfecteq; cocti humida quædam eſt, in quanto, non in quali, ſuperfluitas (vt Ariſtoteli placet) ex quo perfectiſsimo alimento ſolida corporis membra, eorumque vitales ſpiritus, & demum calor natiuus, ſic confouentur, vt ab eius ſubſtantia ortum duxerint. Nam in membris quidem ſolidis, ſiue ſpermaticis, & eorum naturali, ſiue primogenia humiditate calor natiuus, vitæ fomes, operumque naturæ cau-

ſa

ſa prima, continetur, & conſeruatur. Itaque vltimo illo, ac perfectiſsimo ſolidorum membrorum, & naturalis caloris pabulo, ſiue fomite, propter nimiam ſeminis emiſsionem, deficiente, natiuum quoque calorem tabeſcere, atque extingui neceſſe eſt. Vnde naturæ minùs noxium eſt, poſt multam in nimio coitu ſpermatis eiectionem, ſanguinis aliquid dicti per excellentiam perdere, quàm natiuum calorem, vitæ fomitem, pabuli defectu tabeſcere, atque extingui, hominemq́ue, propter eius defectum, perire. Cuius Natura ſimile in nimijs purgationibus, ex cauſis quæ iam dictæ ſunt, præſtare ſolet. De quibus hactenus ſatis ferè multa diximus. Illud autem certum, confeſſumq́ue perſtabit, Medicamenta propriè purgantia, ſuccos ſibi proprios à totius ſubſtantię proprietate purgare non poſſe, ſed nec à ſubſtantiarum ſimilitudine ſiue amicitia. Quod, à nobis, multis rationibus ſatis eſſe arbitror demonſtratum.

Liber ſecundus.

PVRGANS Medicamentum in quinque ſpecies diſtribuitur, nominis tamen ipſius multiplici ſiue æquiuoca ratione prius diſcuſſa.

CAP. I.

SVPERIORIBVS, de proprietatum, ſiue ſimilitudinum ratione (quas Galenus, ſibi peculiari loquendi forma: dixit à tota ſubſtantia operari) præmiſsis: deinceps, vt veram, atque germanam Medicamentorum quomodocumque purgãtium rationem accuratiùs examinemus, primùm homonymia nominis, Purgãtis Medicamenti, diſcutienda eſt: ne voce multiplici, atque ambigua noſtra ratiocinatio implicetur. Nam purgans Medicamentum, duobus modis potiſsimùm vſurpatur. Siquidem generali ſignificato, commune nomen eſt, Medicamentorum omnium, quæ quouis modo excrementa à corpore humano purgant. Atque ea ratione, omnia Medicamẽta, quæ à quibuſcunq; corporis partibus

tibus vacuant, purgantia Medicamenta dicuntur, ἐκκοπρατικὰ, omnia aut, ἔῤῥινα, ἀποφλεγματικὰ βηχικὰ, οὐρητικὰ menſes, aut ſudores citantia, quæ communi nomine purgantia appellantur. Eſt & Medicamenti purgãtis, ſpeciale magis ſignificatum, quo de eo ſolùm dicitur, quod vel vomitu, vel alui deiectione expurgat. Quorũ omniũ communis, & vnica ratio eſt, offenſio, nunc maior, nunc minor, quàm corpori, quod purgatur, affert: vt poſt Ariſtotelem li. I. Problem. Galenus etiam lib. III. facultatum naturalium, fuſiùs proſequitur, dicens, omnibus corporis partibus ineſſe conuenientis appetitionem, odiumque diſconuenientis. Porrò ab hócce odio illa offenſio manat, quæ duobus præcipuè modis in humano corpore fieri ſolet, nempè quantitate nimia, & qualitate noxia: vtroque tamen ad corpus humanum relato. Omnis enim excretoria facultas quomodocunque expurget, altera ſuperiorum duarum rationum ad excernendum proritatur. Iam quæ ſolius nimiæ quantitatis cauſa, ad expellendum prouocant, ea Medicamenti purgantis, neque Ariſtoteli, neque Galeno nomen merentur: etſi vomitu, aut aluo ſoluta purgent. Ea autem ſola, quę qualitate noxia vomitu, vel ſubductione vacuant, ſpeciali ſignificato vulgò, purgantia Medicamenta vocantur: eaque ex Græcorum doctrina Medici Arabes, Latinique, eos imitati omnes, in quatuor ſpecies diuiſerunt. Prima eſt eorum, quæ poſt cibos ſumpta, ſua aſtrictione, & grauitate ventriculum, vel inteſtina comprimendo vacuant: qualia ſunt auſtera, ſiue acerba omnia, vt citonia, ſorbæ. Altera eſt eorum,

quæ ſua humiditate emolliente, & liquefaciente, fęces duras, quas σκύβαλα Gręci vocāt, emolliēdo ſiue humectando deijciunt: cuiuſmodi ſunt, malua, blitis, recens oleum ſalis expers, aliaque id genus. Tertia eſt ea, quæ lenta ſua lubricitate internas inteſtinorum partes deſiccatas, exaſperatas, vel corrugatas lenit: ſicq; in ipſis contenta lubricare cogit, & deijci. Talia ſunt pſyllij mucago, medulla caſsiæ nigræ, recentis ſuillæ carnis iuſculum. Quarta eſt eorum, quæ, Galeni opinione, atque ſententia, quam, hac in re, & Arabes, & Latini Medici plerique omnes ſequũtur (à totius ſubſtantiæ proprietate, ſiue ſimilitudine, ſuccos ſibi proprios à toto corpore trahunt, & vomitu: vel aluo deiecta per excellentiā purgāt: quales ſunt colocinthis, ſcāmonea. Et quia huius quartæ ſpeciei purgātium Medicamenta à toto corpore (licet aliquādo ab vna corporis parte magis quàm ab alia) ſuccos purgandos trahunt & purgant: quod nulli alteri ſpeciei purgantium accidit: propterea eiuſdem quartæ ſpeciei purgantia propriè ſiue per excellentiam purgare dicuntur. Ac hæc quidem ſunt quatuor ſpecies, quæ vulgò ab Arabicis, Latiniſque Medicis afferuntur: quibus nos ex Galeni doctrina quintam vnam, ab vtriſque omiſſam, adiungimus. Ea autem eſt Medicamentorum, quæ fractu liberando, vel detergendo, ventrem deijciunt: cuiuſmodi ſunt, fumaria, abſynthium, vrtica, gentiana, Rhabarbarum, quam purgantium ſpeciem, nullus Medicorum, poſt Galenum, ante noſtram ætatem, à quatuor prioribus illis ſeiunxit: tametſi inter eas nullo modo poſsit locari: cùm ab ijs & ratione, & facultate plurimùm differat:

ferat: vt inferiùs ſuo loco diffuſiùs explicabimus. Quanquam eadem purgãtium ſpecies late admodùm patet, plurimaq; in Medicorum vſu verſatur: quemadmodum ſuo tempore copioſiùs demonſtrabimus, facilioris tamen doctrinæ gratia, atque ordinis melioris, efficiemus, vt quinta hæc, à nobis adiecta, in purgantium ordine quarta ſit: quæ autem, Arabum more, quarta erat, in quintæ locum ſuccedat, idque multis de cauſis. Primùm, quia, vt primarum ſpecierum illarum ventrem ſubducentium Medicamenta, ea, quæ comprimendo, & lubricando, aut leniendo ventrem purgant, à toto corpore non trahunt, & clemẽter purgantia nominãtur: ſic quartæ huius ſpeciei à nobis additæ purgantia, clementer purgant, neque à toto corpore trahunt (vt alibi ampliùs exponetur) vt ea meritò tres primas ſpecies debeat ſequi. Deinde, quia quintæ ſpeciei purgantium Medicamenta, à toto corpore ſuccos ſibi proprios trahunt, ac purgãt, ob eamq; cauſam, vt paulò-antè dicebamus, purgantia per excellentiam appellantur, ventriculoque noxia: ſiue deleteria ſunt. Secus accidit in Medicamẽtis purgãtibus, quarti ordinis, à nobis additi: quæ ſolùm ab hepate, aut partibus ventriculo vicinis, detergendo, vel farctu liberando, clementer vacuant: non autem à toto corpore. Ac primę quidem quatuor purgantium ſpecies, ſi exactè loquamur, dictionumq; proprietatem ſpectemus, purgantium appellationem non admittent. Cumque primi tres purgantium ordines excrementa in ventriculo & inteſtinis contenta, non alia educant: aluum potiùs, vel inteſtina, ſiue ventrem mollire, deijcere, vel

ſubducere dici debebant, quàm corpus purgare. Quartæ autem ſpeciei Medicamenta, quia reliquis altiùs in corpus penetrant, dum ventriculi internas partes, iecur, & lienem, ac non ultrà, farctu liberando, & detergendo purgant: idcirco, propriè ſi loqui volumus, purgare corpus dici non debent: ſed iocinoris potius, ventriſúe partes internas de obſtruẽdo, ſiue detergendo vacuare. Qua vel vna ratione, quàm tres purgantium primæ ſpecies, ad eorũ naturã, quę per excellentiam purgant magis accedunt. Quo fit, vt perperam (veluti latiùs ſuo loco interpretabimur) à multis purgantia propriè Medicamẽta putentur. Cæterùm quintam ſpeciem ea conſtituunt (vt paulò-antè diximus) quæ à toto corpore trahunt, & purgant, ideoque à totius ſubſtantiæ proprietate & per excellentiam, ſuccos ſibi proprios à Galeno purgare dicuntur: de quorum facultatibus, inferiùs latiùs diſſeremus.

DE Medicamentis, ventrem comprimendo purgantibus, quæ primo antè à nobis ordine, ſunt conſtituta.

CAP. II.

QVOD, & quantas medendi arti Arabum Medicina effuderit tenebras, vel ex hac Medicamentorum quomodocumq; ventrem ſoluentium cõtemplatione licet intuerim Enimuerò omnes purgantium Medicamentorum

rum ſpecies Arabes maximis adulterârunt erroribus, quos, pro noſtra mediocritate, hôc libello retegemus, & emendabimus, ſumpto, initio ab ijs, quæ comprimendo ventrem deijciunt, ob eam rationem, quia omnium quæ quomodocunq; purgãt Medicamentorum, naturæ, & ventriculo ſunt appoſitiſsima, vtpote quæ in fine paſtus ſumpta ventriculũ, & inteſtina purgãdo vacuant, cõprimendoq́; etiam roborant. Miramur autem, Arabes illa in purgantiũ numerum aſciuiſſe. Primùm, quia purgantia omnia, multis in locis, Galeno poteſtate calida ſunt: illa verò frigida omnia. Inſuper, quia vt Medicamenta comprimendo vacuantia, poſt iuſtum cibi modum aſſumpta, imbecillam maximè aluum deijciunt: ſic ante cibos ſumpta, illam conſtringũnt, & cohibent. Quapropter ſicut comprimendo ventrem in fine paſtus ſumpta ſoluere memorantur: ita comprimendo ante alios ſumpta ſiſtere dici debent. Adhæc, quia non per ſe, ſed per accidens, rationeq́ue multùm homonyma, excrementa alui detrudunt, quando ventrem & inteſtina comprimendo, fæces in eis contentas, pòſt cibos potiſsimè ſumpta demittunt vnde ἐκκοπρωτικῶν: non Medicamentorum purgantium appellationem merentur. Idemq́ue iudicium eſt, de ijs, quæ leniendo, vel lubricando, ventrem deijciunt: quibus omnibus Græca Medicina, non vt Medicamentis purgantibus in morborum cura: ſed potius ut nutrimentis Medicamentoſis in ſanitatis conſeruatione vtitur, ad ventrem à fæcibus exonerandum. At enim plerumque contingit, vt, cum inteſtinorum excremẽtis,

ſuccos etiam aliquot iſtis admixtos, in ijſque contentos educant. Tales ſunt magna ex parte bilis flaua, pituîtaque aliqua ſubtîlis, & aquoſa, quæ non ſine magno naturæ vſu, in ijſdem viſceribus continentur: & idcirco à Medicamentis comprimendo ſoluentibus, vnà cum egeſtionibus ſubducũtur, tum maximè, cùm eiuſmodi ſucci idonei fuerint, accommodatiq; expulſioni. Viſcoſi enim, qualis ferè eſt craſſa, viſcoſaque pituîta, quia tunicis inteſtinorum adhærent, itemque bilis flaua, quæ ſua ſubtilitate frequenter tunicis inteſtinorum imbibitur: tales, inquam, ſucci, in inteſtinis contenti, Medicamẽtis cõprimendo ſoluentibus non edùcuntur: cùm fortioribus, potentioribuſque indigeant. Itaq; illa, ea ſolùm, quæ in ventriculi, & inteſti norum cauitatibus continentur, ſi fuerint idonea expulſioni, ſubducunt. Quare malè ſentiunt Arabes, eorumque Latini interpretes non pauci, putantes Medicamenta comprimendo ſoluentia, aliqua quidem bilem flauam, alia pituîtam, aut bilem atram electiuè (vt eorum vocem vſurpem) à corpore toto trahẽdo purgare. Quod nos falſum eſſe contendimus, quia eorum naturæ, ſiue facultatis, quæ aſtringit: & temperamento, quod frigidum, & ſiccum eſt, talis trahendi facultas repugnat. Porrò ſi eorum naturam, atque temperiem paulò diligentiùs perſcrutemur, Arabumque authoritati, ſine ratione, & experiẽtia, nõ hęreamus, deprehendemus ſanè, facultates illis ab Arabibus attributas tam cum eorum natura, atque temperamẽto conuenire, quàm ignis cum aqua conſpirat. Omnium enim eorum natura, ſiue temperatura, præter quàm

quòd

quòd frigida eſt, vt antè diximus, ſicca, terrea, & omni aliena qualitate, inſigni ſaltem, vt tali, ſpoliata aſtringens etiam eſt. Quamobrem id genus omnia Medicamenta, non ſolùm frigida ſua, terreaque aſtrictione, ſuccos, potiſsimè ſubtiles, repercutiunt, tantum abeſt ut illos attrahant: ſed meatus etiam, quos contingunt, non ſine iuſta, euidenteque ratione vehementer obſtruunt, vt fuſiùs docet Galenus lib. v. Simplicis Medicinæ. cap. XIII. ſexcentiſque alijs locis. Idemque Arabica Medicina ſæpe contra ſuam poſitionem, aſtruit. Ex quibus apertè licet colligere Medicamenta huiuſmodi, quæ comprimendo ſoluunt, morbos ab obſtructione, mediatè, uel immediatè contractos: quales ſunt magna ex parte febris putrida, & icterus haud quaquàm curare poſſe: etſi contrarium doceant Arabiſtæ. Febres enim putridæ omnes mediatè ab obſtructione, immediatè à putrefactione ferè gignuntur: vt nemo non videt. Quare neceſſe eſt, ut à comprimentibus, ſiue obſtruentibus, aut Medicamentis, aut nutrimentis conſeruentur, & augeantur: tantum abeſt, vt ab ijs putridæ febres, alijque obſtructionum morbi curentur. Quod Galenus oſtendit lib. XIII. Method. Therapeut. cûm vetat, mâlum Punicum dari morbis ab obſtructione factis, cæteraque eiuſdem generis ſua frigiditate, & ſiccitate aſtringentia. Quia inquit, dum « bilis meatus arctant, ipſam excerni prohibent. Ex quibus apparet, vel meridiana luce illuſtriùs, quantis erroribus Medicina Arabica implicetur, in myrobalanorum natura, & facultatibus explicandis. Nam myrobalani, quibus primi Arabes pro purgantibus

Medicamentis vſi ſunt, quemadmodum alia omnia comprimentia,ſiue aſtringẽtia: quia frigidæ ſunt,ſiccæ, terreæ,& aſtringentis naturæ: propterea materias, in ventriculo, & inteſtinis contentas, ſibique obuias, ipſum ventriculum, & inteſtina, ſua aſtrictione comprimendo, detrudunt, & purgant: vt author eſt Galenus libro VI. Sanitatis tuendæ. Quocirca fieri non poteſt, vt obſtructionum morbos curare poſsint,multoque minus ventriculum, & inteſtina detergere, quorum excrementa, potiſsimè inteſtinis hærentia eorum compreſsione in ventriculi, & inteſtinorum tunicas fortius adiguntur:tantum abeſt, vt ipſum ventriculum, & inteſtina detegant. Ex quibus & illud innotuiſſe exiſtimo, falſum eſſe, quod ait Arabs ſingulas myrobalanorum ſpecies,ſuccos ſibi proprios attrahere primò, & attractos comprimendo detrudere. Vnde,citreas myrobalanos flauam bilem purgare dicunt. Cepulas, pituitam. Indas,atram bilem: & comprimendo deijcere, eademque ratione febres, genitas ab eis ſuccis, curare. Prætereà volunt Arabicæ Medicinæ interpretes quidam, hæc gerundia, comprimendo,ſiue lubricando, non denotare attractionis,ſiue excretionis cauſam: ſed (vt eorum verbo vtar) concomitantiam. Quæ fabuloſa eſſe, vel ipſa ratio ab illis ſumpta facilè arguit, cùm aiunt,myrobalanorum ſpecies omnes,frigidas,ſiccas, aſtringentes, vaſorumque ventriculo vicinorum, & aliorum meatuum aſtructiuas ſiue obſtrictiuas eſſe. Quæ cùm ita ſint, quî fieri poteſt, quaque facultate, ut ſuccos ab hepate, vel membris ventriculo vicinis,

cinis, Meatibus, iuxta ipſum, comprimẽdo obſtructis, atque occluſis, myrobalani ad ventriculum trahant, attractosque comprimendo deijciant? Rhabarbarum, etſi multam aſtrictionem frigidam, ſiccam, terream, obſtruentem habeat, quia tamen eius calor, & amaritudo ſuperant aſtrictionem (vt ſatis nouerunt Arabes, ac guſtus experientia docet) propterea ſua amaritudine farctu liberando, ſiue meatus aperiendo, & detergendo, bilem flauam non à corpore toto, ſed ſolùm ab hepate, viciniſque ventriculo membris, aquoſaque ſimiliter purgat: vt alio loco demonſtrabitur. Secus cõtingit in omnibus myrobalanis, quę omni aliena, (præter frigiditatem, ſiccitatem, & aſtrictionem qualitate carent, ſaltem inſigni: vt dictum eſt. Itaque aut Arabes, eoſq; imitati Medici aliã myrobalanis naturam, aliam temperaturã, à frigida, ſicca, terrea, obſtruente, aſcribant: aut facultates multas illis tributas adimant, prorſuſq; deleant. Hęc enim conſtare nõ poſſunt: niſi fortè ad proprietatum, quas à tota dicunt operari ſubſtantia, caliginoſam harenam profugiant. Quo, quid abſurdius excogitari poteſt? His ita poſitis, atq; probatis, cõcludo, contra Arabicam Medicinam, Cepulas, aut Indas myrobalanos, nõ minus flauam bilem, vel pituitã aquoſam: cum egeſtionibus, cõprimẽdo ſubducere, quàm Citrinas, falſumque eſſe Citrinas modò bilioſas febres curare, modò Icteros: & Cepulas febres pituitoſas. Atque vt demum de myrobalanorum (ſaltem quæ in hac regione viſuntur) facultate, quod ſentio, breuiter, ingenueque eloquar, ſtatuo myrobalanorum ſpecies omnes à Medicorum

praxi, ac Pharmacopolarũ officinis prorſus eſſe reijciendas: non ſolùm quia magnas obſtructiones toti corpori humano afferunt, vt vel ipſi Arabes confitentur: verùm etiam quia, vt quodam in loco ſcribit Fuliginas Medicus, nulla eorum ſpecies non carioſa, prorſuſque corrupta ad nos defertur: niſi fortè Zaccharo adhuc recẽti debitè condîta fuerit: quæ ſic parata, pluris, quàm pro merito, (vt Galenus lib. II. Alimentorum de Cinara dicit) pẽditur. Quam ob cauſam Myrobalani quę in officinis Pharmacopolarum aſſeruãtur, non ſolùm morborum remedijs ferè putantur inutiles: ſed etiam Medicamentorum compoſitiones, in quas ingrediuntur, omnes vanas efficere: quemadmodum à noſtris quibuſdam Latinis Medicis, practicis, diligenter doctéque obſeruatum fuiſſe, animaduertimus.

DESCRIPTIO facultatis, eorum Medicamentorum, quæ leniendo, vel lubricando, alui excrementa ſubducunt.

CAP. III.

ARABICA Medicina duas huiuſmodi Medicamentorum ſpecies ponit, prorſus diuerſas: quarum vnam inteſtina lenire aſſerit: alteram fæces induratas (σκύβαλα Græci vocant) emollire, atque ſubducere. His duabus de cauſis, Arabes aiunt, illa Medicamenta aſtrictam al-

uum

uum citare. Sed ſi quis eorum rationem cum Græca Medicina diligenter contulerit, ea, vnam tantùm: non duas, purgantium Medicamentorum ſpecies conſtitue re: propter vnam, eandemque ſpeciei vtriuſque ratio- nē, & facultatē, facilè deprehēdet. Nam vt alui excre- mēta, & inteſtinorū tunicæ, propter immodicā aridi- tatē, ſiue primò, ſiue per accidens immoderatè ſiccan- tur, indurantur, & exaſperantur, ideoque alui excre- tio ſolita cohibetur: ſic lubricantia, ſiue lenientia, aut Medicamenta, aut nutrimenta Medicamentoſa, humi- ditate ſua, ſi multa ſit, denſa, & lubrica, non minùs fæ- ces induratas, quàm inteſtinorum tunicas iuſto plus ſiccatas, induratas, exaſperatas, & corrugatas hume- ctant, emolliendo leniunt, prorſusq́; lubricas faciūt: eaque vel vnica ratione, interceptam ventris excre- tionem proritant, atque impellunt. Experimur enim non tantùm alui excrementa, verūetiam tunicas, inte- ſtinorum, partim immoderato calore (vt in febribus incenſiuis) partim immodica humiditatis, aut vrina- lis, aut fæcalis, aut ſudoralis per corpus digeſtione: nonnunquam etiam multo, atque inſenſili in magnis exercitijs, vt eſt equitatio diuturna perſpiratu: non modò ſiccari: ſed denſari indurari, & corrugari. Qua- re huic vni συμπτώματι, per qualitates ſiccitati, duriciei- que contrarias, ſecundi, ac tertij ordinis Medicamen- ta, quæ lentam ſiue lubricam humiditatem habent, medebuntur. Ex quo apparet, Medicamenta quæ Ara bū opinione, leniendo, ſiue lubricando purgant, vnam modò purgantium Medicamentorum ſpeciem, ut an- tè dicebamus, componere: non duas, atque diuerſas.

Quemadmodum enim ſiccitas natura ſua, tum maximè ventrem aſtringit, cùm vel fæces, vel ipſa inteſtina indurat, atque exaſperat: ſic Medicamenta, humiditatis cauſſa potiſsimè ventrem ſubducunt, quando denſam, & lenem quandam lubricitatem cum ſua humiditate commixtam habent. Hoc enim modo inſulſum oleum, ſicut & maluæ, & môra, ſua lubricitate (vt ait Galenus libro I I. ſimplicis Medicinæ capit. X I.) debilem in primis ventrem deijciunt. Eademq́ue ratio eſt prunorum recentium, ſpinachiorum, vuarum dulcium, cęterorumq́ue, quæ neque guſtu, neque olfactu eximiam vllam præ ſe qualitatem ferentia, quia humida & glutinoſa, ſiue lubrica ſunt, ſi aliquo temporis interuallo ante cibos edantur (authore Galeno lib. I. Alimentorum) aluum cient. Quamobrem nulla Medicamenta ſolius humiditatis auxilio, citra lubricum quendam lentorem, apud Galenum ventrem mollire reperiuntur: licet is quarto de ratione victus acutorum, contrà ſentire videatur, cùm ait, Lac aſinæ præ omnibus vnum humiditate exuperare, ob idq́ue facilè ventrem ſubducere. Quo in loco ſibi repugnare videtur. Siquidem libro I I I. Alimentorum tradit, illud præ cęteris ſero abundare, ideoq; magis ventrem laxare. Iam, ſerum, non quia humidum: ſed quia detergentis eſt facultatis, & quarti purgantium ordinis, non ſecundi aut tertij, ventrem ſubducit, eodem authore libro X I. ſimplicis Medicinæ. Itaque lac aſinæ, ſeri multi cauſa detergendo: non ſua humidi-

tate

tate leniendo, ventrem ſubducit. Etſi non imus infi-cias, humiditatem, per accidens, poſſe ventrem laxare: ſed non per ſe. Eſt enim humiditas (Galeno teſte libro VI. de Symptomatis, & eorum cauſis) omni naturæ functioni inutilis: niſi nutricationi. Sed poteſt tamen, per accidens, expulſiuam facultatem iuuare retentiuam debilitando (vt docet Galenus in II. Aph. Comm. XX.) quę, propter nimiam humiditatem, facilè cedit potentiæ expultrici. Ex quibus intelligitur, Galenum iſtorum Medicamentorum ventrem ſiue lenientium, ſiue lubricantium, vnicam ſpeciem: non duas conſtituiſſe: quandoquidem multis in locis, in quibus de ijs agit, dicit, talia humida eſſe omnia, ſiue Medicamenta, ſiue cibaria Medicamentoſa, tumque demum ventrem citare, cùm, vt antè diximus, ſuæ humiditati lubricitatem lentam quandam admixtam habent. Quod, apud eum, multis in locis licet obſeruare. Aqua pura pota, à ventriculo tardè deſcendit, neque ullo pacto ventrem ſubducit (quemadmodum ipſe author eſt, in tertiam; de ratione victus acutorum) ſicut, neque ciet vrinas: tantum abeſt, vt ſua humiditate, quam plurimam habet, nulla alia qualitate impeditam, ventrem ſoluat: etſi multùm frigida ſumpta eum ducere queat, vt à Galeno ſcribitur libro VIII. Method. Therap. verùm hoc, fit per accidens, eius frigiditate actuali ſubtiles, & magis aquoſas partes incraſſante, & vaporante. Sic nulla Medicamenta, ſolius humiditatis cauſa, ventrem ſoluunt, niſi ea lubrica ſint, denſa, ac lenta. Quare lactuca, etſi multæ humiditatis

ſit particeps:quia craſſa non eſt,& lubrica: aluum non ducit: eius enim humiditas:quia ſubtîlis eſt facileque vaporabilis,cerebrum multo ſuo vapore,dum in ventriculo coquitur,implet,ſicq; ſomnum prouocat:non malua,blitis,borrago,vel portulaca, aut ſimiles, quarum humiditas tametſi multa ſit,quia denſa eſt, & lubrica,non ita,vti lactucæ humiditas,vaporando,cerebrum implent:neq; dum in ventriculo excoquuntur, ſomnum,illius more, inducunt:ſed lubrica humiditate,quę non facilè,propter craſsitiẽ vaporatur,aluum, in qua,ob lubricam denſitatem remorantur, deijciũt. Lactuca igitur,quæ præ cæteris holeribus,vt vult Galenus,boni,ac multi nutrimenti eſſe creditur,quamquàm multùm humida ſit: quia tamen ſubſtantiam denſam non habet,neque lubricam:ideo dum in ventriculo coquitur,ſomnum citat, vapore ſuo non tam frigido,quàm multo. Quod contrà, de papauere,eſt iudicãdum. Illud enim vapore,non tam multo,quàm frigido, ſoporem, ſiue veternum ciere potiùs, quàm ſomnum,non iniuria dici debet. Sed ad Medicamenta lubricando purgantia,redeamus. Eorum apud magnos, idoneoſquę authores, duplex eſt differentia. Quædam enim,quia temperiem,atq; naturam omnino frigidam, humidam, & lubricam habent, prӕter quàm quòd lubrico ſuo lentore aluum, potiſsimè imbecillam, mouent, cutis etiam interuarum partium poros, frigida ſua,atq; lubrica viſcoſitate cõdenſant, emplaſticorumq́ue more infarciunt. Huiuſmodi ſunt, blitis,atriplex,portulaca,cucurbita, aliaq́ue id genus, inſipida penè omnia: quę lubrica ſua humiditate al-

uum exonerant,fæces,& ſuccos,ſiue bilioſos, ſiue pituitoſos, cum illis commixtos,atq; in ventriculo, aut inteſtinis contentos demittendo:neque quomodo hepatis meatus,aut meſarica vaſa ſubeundo:eorum nimirum glutinoſa,frigidaq; craſsitie introitum ad meatus præpediente. Atque etiam alia eſt horum Medicamentorum,de quibus tractamus,ſpecies,eorum videlicet,quæ præter frigidam quandam, lentam,ac lubricam,quam habent ſubſtantiam, aliquid quoque caliditatis obtinēt,ſubtiliumq́ue partium, quarum cauſa, inteſtinorum retrimenta,non ſolùm leniendo: ſiue, ut priora, lubricando:ſed etiam rarèfaciendo, detergendoq; deijciunt,cuiuſmodi ſunt,medulla caſsiæ nigræ, malua,præſertim agreſtis,viola purpurea,althea,borrago,quæ omnes inſigni ſuo ſapore,euidentiq́ue odore oſtendunt calidas, ſubtîleſq́ue partes, vnà cum earum lubrica ſubſtantia,& craſſa,contineri:à quibus illa Medicamenta,non ſolùm lubricando: ſed etiam rarèfaciendo, digerendo,& detergēdo,ne dicam farctu liberando,prioribus fortiùs vētrem expurgāt,ventriculi,& inteſtinorū exilibus poris internis rarèfactis, atque deterſis. Ac ſicut prioris lubricantium Medicamentorum ſpecies facultas, ventriculum,& inteſtina non excedit:ita ne huius quidem ſecundæ virtus,inteſtina præterlabitur: licet horum facultas, ſubtilium partium cauſa, penitiùs inteſtinorum, & ventriculi exiles meatus ſubeundo,eas partes, partim lubricādo, partim detergendo, prioribus altiùs, atque exactiùs mundificent,& expurgent. Quam ob cauſam febribus meliùs, quàm priora auxiliantur,ea potiſsimùm ra-

tione,quia ab hepate,per vaſa meſſarica (etſi non per ſe, vt per accidẽs,)hoc eſt vacui ſucceſsione huiuſmodi per ſe lubricantia Medicamenta ſuccos frequenter trahunt,atque expurgant,transfuſis videlicet,à dictis partibus,ad dictas partes,lubricando,& digerendo deterſas,vacui cauſa,humoribus. Quapropter & ſanguinem purificare,etſi per accidens,incenſiuasq́; febres reprimere,tum ratione,tum experientia, deprehenduntur. Conueniunt autem Medicamenta, ventrem quomodocunq; lubricando ſoluentia, cum eis,quę aluum comprimendo deijciũt:primùm,quia vtraq; priorum ſpecies,vt & hæc poſteriora,ventriculum,& inteſtina ſaltem primò & per ſe non prætergrediantur: quia ſolùm fæces,& ſuccos cum eis cõmixtos, in inteſtiniſq́; contentos,deijciunt. Deinde quia vtraq; non niſi imbecillũ ventrem afficiunt. Siquidem validus, robuſtuſq́; ventriculus,aut parũ,aut omnino nihil ab vtriſq; mouetur. Poſtremò,quia,ſicut poſt lubricantia Medicamenta ebibita,aliquo temporis interuallo, nihil penitus dãdum eſſe docet Galenus lib.11.de Alimentis:ita, poſt ventrem comprimentia Medicamẽta, in fine paſtus,ad citandam aluũ aſſumpta,nihil prorſus dandum eſſe ratio docet clariſsima. Qua in re, duæ illæ Medicamentorum ſpecies,à Medicamentis per excellentiam purgantibus differunt,poſt quorum exhibitionẽ Ptiſſanæ parũ ſorbere iubet Galenus,li. Quos oportet purgare, idq́; Hippocrate authore,li. 11.de ratione victus acutorũ: quamuis hoc vtriuſq; præceptũ,noſtra ætate Medici tam pauci,quàm nulli,obſeruẽt: ſtatim ab epoto pharmaco per excellentiã purgante,contra Hippocratis

cratis præceptum, nihil penitus exhibentes: ſed dum dictum Medicamentũ operatur, potionem quandam, quam lauacrum dicunt, propinantes. Qua in re ægros duobus modis offendunt. Primùm, quia ſtatim ab eo epoto nihil præbent: cùm contrà iubeat Hippocrates. Deinde, quia dum purgat, lauacrum exhibēt, quod & ab illo, & à Galeno eſt vetitũ. Ac de leniētibus quidem, & lubricantibus Medicamētis, ſatis multa dicta ſunt.

Qualia ſint quartæ ſpeciei Medicamenta purgantia, & cur à toto corpore non trahant.

CAP. IIII.

QVARTAM autem purgantiũ Medicamentorum ſpeciem, à nobis, ex doctrina Græcorũ, Arabum Medicinæ adiectã, ea conficiunt, quæ qualitatibus elementarijs, primis, & ſecundis, meatus de obſtruendo, & farctu liberando, ac detergēdo ventriculum, & partes, ei vicinas, purgant: nō totũ corpus, qualia ſunt ſalſa, nitroſa, atq; amara Medicamenta in quantũ talia, quæ à partibus corporis à vētriculo remotis (vt propriè purgātia) trahere nō poſſunt: ſed à vicinis tantùm, vt ab hepate, liene, vaſiſq; meſaricis. Cur autem hæc, quarti huius ordinis purgantium, Medicamentorum purgantia, vt ſunt, Aloë, fumaria, Rhabarbarum, Abſynthium, aliaque id genus, à toto corpore trahere nequeant: alia verò, quinti, vt ſcammonea, colocynthis, à toto

trahendo purgent, facile eſt ratione oſtendere. *Siquidem* Medicamenta, quarti huius ordinis, quæ, vt antè diximus, ferè amara ſunt, ſalſa, vel nitroſa omnia, quia Medicamentis, quinti ordinis, minùs ſunt calida, partiumque multò minùs ſubtilium, ut à Galeno ſcribitur, lib. IIII. Simplicis Medicinæ. capit. XVIII. & vt euidens oſtendit ratio, neq; à toto corpore ſuccos trahere poſſunt, neque purgare. Etenim ea, quia ſalſa, nitroſa, vel amara ſunt, & ſi inquantum ſona calore aliquo ſint elaborata, & quadamtenus attenuata: terrea tamen ſunt omnia, & craſſa, & ea ratione aliqua (vt plurimùm) aſtrictione participantia. Quocirca, quemadmodum acribus, vereque purgantibus Medicamentis (vt nunc diximus,) minùs caloris, parteſque ſiue ſubſtantiam minùs ſubtilem adepta ſunt: ſic neq;, ut acria totum corpus ſubire, & à toto corpore, neque cum eius tanta fatigatione poſſunt attrahere: ſed à partibus tantùm ventriculo vicinis, quas iam ſæpe nominauimus: idque non eius beneficio qualitatis, quæ Galeno à tota ſubſtátia trahere dicitur: ſed qualitatum potiùs elementariarum, primarum, vel ſecũdarum ſubſidio. Quod idem multis in locis explicat: ſed maximè lib. II. Alimentorum, in cap. lactuca. cùm ait, ſicut auſte-
» ris, & acerbis, aluus in vniuerſum ſiſtitur: ita ſalſis, a-
» cribus & amaris, vim detergendi habentibus, ad excre
» tionem proritatur. Prætereà lib. VII. Simp. Med. au-
» tor eſt, braſsicam, quia ſubſalſa eſt, & ſubamara, ventrem ciere. Gentiana, vt idem refert lib. VI. eiuſdem operis, extenuat, abſtergit, farctu liberat, atque purgat: quia impendiò eſt amara. Atq;, vt omnia paucis complectar,

DACNIAS Aráb Rom.

plectar, ipſe admonet lib. v. ſimpl. Med. cap. x i. dicens, Quæcumque inueniuntur ſalſa, nitroſa, vel amara, ea ad purgandos meatus valere putato. Huius generis ſunt Abſynthium, Fumaria, flos Lupuli, Roſa potiſsimùm ſubrubra, Stœchas, Mercurialis, Hyſſopus, Praſſium, Eupatorium, aliaque permulta, ſimiles qualitates primas, atque ſecundas habentia huius quarti ordinis, quæ clementer ventrem deijciunt. Quod idem de Rhabarbaro dicimus, Aloë: quæ omnia Medici penè omnes, Arabica diſciplina imbuti inter quinti ordinis Medicamenta malè reponunt, affirmantes, ea magna ex parte à totius ſubſtantiæ proprietate ſuccos ſibi proprios attrahere, & purgare: cùm re vera quarti ſint ordinis purgãtium, vt rationibus multis facile eſt perſuadere, vel Aloë ipſa, pro ſcopo diſputationis aſſumpta: cuius facultas purgatoria (vt ſcribit Gale. lib. v i i i. de Compoſitione Medicamẽtorum, ſecundum locos) hepatis regionem non tranſit. Nam idem ibidem ait, Aloén ea, quæ attingit, in regione ventris, purgare. Quòd ſi copioſior quãdoq; fuerit exhibita, iecoris loca attingere poteſt, & purgare: nõ tamen totũ corpus purgat Aloë. Contrà verò propriè purgantia, à toto corpore ſuccos ſibi proprios trahũt, ipſumq; frangũt. Ex quibus non difficile eſt iudicare, Aloén, non eſſe Medicamentum propriè purgatorium: cùm neque à toto trahat, neque totum corpus fatiget, eius facultate, ijs finibus, quos antè deſcripſimus, circumſcripta, ſolumque quæ in ventre, & partibus ei vicinis ſunt, attingens: vt ſunt bilis flaua, & ſucci aquoſi, vnà cum egeſtionibus in inteſtinis contentis, quas, farctu libe-

rando,& detergendo, deijcit. Vnde à Galeno ἐκκοπρω-τικὸν, id eſt,vim habens ſtercoris educendi,vocatur. Quidam tamen noſtræ ætatis inſignis Medicus, cõtrarium ſentit: cuius nomini parco, cùm propter alia multa, tùm vel maximè,propter excellentiam Medicæ artis, quam magno ſtudioſorum omniũ malo publicè profitetur. Is probare igitur contendit Aloën, vt ἐκκοπρωτικὰ, cætera, eſſe Medicamentum per excellentiam purgans. Quicquid enim,inquit, excrementum animalis per aluum purgat, eſt propriè purgatorium. Aloë ſtercus,quod eſt animalis excrementum,per ventrem purgat. Igitur Aloë eſt propriè purgatoria. O præclaram acuti doctoris ratiocinationẽ. Enimuerò ſi eius aſſumptio vera ſit,ab Aloë, animalis ſtercus, propriè per ventrem purgari, ſequetur, eam, non ſolùm eſſe ἐκκοπρωτικὴν: verùm etiam(honor ſit lectoris auribus) κοπρώδη,hoc eſt ſtercoroſæ aliquid ſubſtantiæ ſimile continentem,vt interpretatur Galenus. Nam eo authore lib. III. ſimplicis Medicinæ cap. XXIIII. ſimilitudo quædam ineſt vtriq; ſubſtantiæ,eius quod purgat,quodq́; purgatur. Nam ſicut pituîta eſt quod purgatur,ita quod purgat pituítoſum ſit oportet non planè pituîtam: hæc igitur concluſio noſtra fulcitur loco à ſimili, qui neutro claudicat pede. Nam ſicut ſtercus eſt quod ab Aloë propriè purgatur: ita Aloën quæ purgat ſtercoroſam,& nõ planè ſtercus eſſe oportet. Quare neceſſe erit magno illi doctori,ex ſua poſitione,fateri vel Aloën aliquid ſtercori ſimile continere,ſtercoroſamq́ue eſſe, non ſolùm ἐκκοπρωτικὸν, vel Galeni ſententiam eſſe falſam.

Aloën

Aloën ventriculo ſimpliciter eſſe noxiam, Rhabarbarum autem, & Abſynthium Ponticum gratam: hoc quoque capite facultas quarti ordinis purgantium accuratius explicatur.

CAP. V.

SI QVIS, Aloës, aliorumque, quarti huius ordinis, purgantium Medicamentorum naturam, ac temperamenta diligentiùs perrimetur, difficile erit, Galenum à manifeſta contradictione vindicare. Quod, cùm alijs multis in locis poſteà demonſtrabimus: tum vel ex lib. VI. ſimplicis Medicinę conſtare poteſt: vbi, Aloës facultates enarrás, eam dicit eſſe ſtomacho gratam, vt ſi quod aliud Medicamentum. Cuius contrarium, in mea, pro Meſuë, cõtra Manardum defenſione, rationibus multis edocui, ijſq; ex Galeni doctrina deſumptis: quibus apertiſsimè demonſtraui Aloën, nõ ſolùm ſtomacho eſſe ingratam: ſed etiam prorſus noxiam. Sed cauſſabitur fortaſſè quiſpiam, hoc ipſum à Galeno non eſſe negatum: quod idem in alijs Medicamentis contingit omnibus, in quibus purgandi vis ineſt: ſed verbis illis deſignatum eſſe, inter Medicamenta, quæ ventriculum offendunt, purgantia omnia, eam minùs eſſe noxiam. At enim non hæc ſatisfacit interpretatio. Quòquò enim hoc loco, Galenum deflexeris, contradictione non caret: vt paulò-pòſt oſten-

dam:ſi priùs ex eius doctrina,demonſtrauero, Aloén, ventriculo ſimpliciter eſſe noxiam,vt ipſe ſibijpſi op ponatur,ac contra ſe teſtimonium cogatur dicere. Aloë igitur, vt ipſe multis in locis fatetur, eſt mixtæ, & temperaturæ,& facultatis,amaræ videlicet, & auſteræ. Ac prioris quidem ratione ventriculum debilitat:poſterioris,roborat: vt paſsim docet Galenus, ma ximeque lib. VI. ſimplicis Medicinæ,cap. Abrotonum,ubi ait,amaram qualitatem omnino eſſe ventriculo infeſtam:auſteram verò vel acerbam, & in ſumma,aſtringentem,gratam,atque amicam. Quod de ventriculo intelligi debet,à malis humoribus repurgato. Siquidem aſtringentia ſtomacho corruptis humoribus referto nocent:vt idem docet lib. VI. κατὰ τόπους. Quare aſtringens qualitas, ventriculo à corruptis humoribus repurgato,grata eſt, & amica: ſicut amara, infeſta. Porro vbi hæ duæ qualitates ſimul permixtæ fuerint,quæ fortior fuerit,alteram vtiq; vincet. Atqui is ipſe demonſtrauerat lib. III. ſimpl. Medicin. cap. XIIII. contrarias qualitates, nedum diuerſas, in vno
„ Medicamento ſimplici (ſaltem ad ſenſum) ſæpiùs con
„ currere:in quo qualitatum, aut facultatum comple-
„ xu, ea vincet ſemper: quæ qualitatis robore vicerit.
„ Adſtrictio, inquit, cùm alias qualitates ſecum recipit
„ non paucas,ſemper omnibus iſtis agit:ſed euidentiùs
„ aliâs, per aliam videlicet vincentem. Quia igitur in Aloë plus eſt amaræ qualitatis detergentis, & expurgantis,quæ ventriculum debilitat,quàm aſtringentis, quæ roborat:idcirco multò plus vētriculum detergendo,& expurgando forti amaritudine ſua debilitabit;

quàm

quàm modica aſtrictione firmabit. Quocirca Aloë ſtomacho nullo modo grata eſt. Poteſt & idem exemplo probari, ſumpto ex lib. VI. ſimplicis Medicinæ, vbi dicit, Abſyntium Ponticum, ideo ſimpliciter gratum eſſe ſtomacho: quia præter odoris ipſius ſuauitatem, aſtringens in eo facultas, quæ roborat, eius amaritudine fortior eſt. Abrotonum contrà, Sãtonicumque abſynthiũ, ſtomacho ſunt noxia: quia multæ ſunt amaritudinis, & paucæ aſtrictionis. Ex quibus ratione, exemploque concluditur Aloën Medicamentum eſſe, ſtomacho ſimpliciter noxium. Secus in Rhabarbaro, & Abſynthio Põtico accidit: quorũ amaritudo, lõgè minor, quàm Aloës, guſtu percipitur. Ex quo apparet, aſtrictionẽ, amaritudini cõtrariã, in maiori eſſe quantitate, in Rhabarbaro, aut Abſynthio, quàm in Aloë. De Abſynthio quidẽ illud idẽ Galenus aſſerit. De Rhabarbaro euidẽti ratione doceri poteſt: quia ſimul atq; in aqua maceratũ eſt, aut lotũ, copioſa in eo, quod poſt eius expreſsionẽ ſupereſt, aſtrictio inuenitur, eaq; nõ parum efficax: vt præter guſtum, experientia Medicis indicat, qui in ægris curandis verſantur. ex quo facile eſt inferre, Rhabarbarum, propter ipſius copioſiorem quàm Aloës aſtrictionem, minoremque amaritudinem (vt de Abſynthio Pontico dictum eſt) multò magis ventrem roborare, quã Aloën. Cuius veritas ex Galeno apparet facilè, lib. III. ſimpl. Med. ca. XV. vbi ait, actiones Medicamentorum, aut arte, aut natura cõpoſitorum, in mixturis paribus ſimiles euadere: in imparibus aũt diuerſas: Nam & is cap. XIIII. eiuſdem libri prius docuerat, Medicamentorum mix-

turas,ſiue pares,ſiue impares duplici ratione eſſe examinandas,nempe qualitate, vel quantitate mixturæ. Frequenter enim vſuuenit(eodem autore)vt ſubſtantia exigua quidem, ſed validis prædita viribus, alteri ſubſtátiæ plurimæ miſceatur,eique imbecillę,quę intra corpus adueniés,eadem ratione guſtum fallit: quia effectum, quàm ſubſtantiæ multæ, efficaciorem habet. Vt ſi ℥ carnis Citonij ʒ vnam Scammoneæ ſibi mixtam habeat, Citoniū quidem quantitate, & guſtu vincet Scammoneam,ſed viribus, atque effectu Scammonea, Citonium. Vnde compoſitum illud Medicamentum corpus totum exactè purgabit: licet purgans ſubſtantia, quantitate multò ſit minor, quàm aſtringens, quæ ventrem ſiſtit. Fiet tamen durante purgatione,vt caro Citonij ſua aſtrictione refrigerante, ſuoque odore grato, purgantis Scammoneæ vehementam & noxam non parum reprimat. Sic, licet Abſynthij, ſaltem Pontici,aut Rhabarbari mixturæ,plus adſtrictionis,ventrem cohibentis, in quantitate,quàm aut acrimoniæ, aut amaritudinis, meatus expurgantis contineant: vincitur tamen vtriuſque aſtrictio ab eorum acri vel amara purgante qualitate: quando ventriculus, & meatus,ei vicini, ab vtroque purgantur, non impediente eorum aſtrictione. Etenim purgatrix facultas Rhabarbari, quæ in eius calore primò, & in amaritudine, atque acrimonia eiuſdem per accidens ineſt: licet certo tempore,quia calidæ, atque igneæ eſt naturæ, ipſius aſtrictionem viribus vincat: Adſtringens tamen facultas, quia frigidæ, craſſæ,ac terreæ eſt naturæ aliqualiter reſiſtit,

purganteq;

purganteque facultate conſtantior, & permanentior eſt. Itaq; ſicut purgans facultas Rhabarbari, vel aliorum, ſimiles qualitates habentium Medicamentorum, quamuis ſit exiguæ quantitatis: eiuſdem tamen aſtrictionem licet multò maioris ſit quantitate certo tempore vincit, quandiu videlicet purgat Rhabarbarum. Sic illius purgatione deficiente, perſtat aſtrictio ſuis viribus conſtans, quæ facultatem purgantem tunc vincere incipit, dum membra à facultate purgatrice ſupercalefacta, laxata, agitata, & debilitata, refrigerat, cogit, cohibet, & roborat. Sed exiſtit quæſtio, cùm antè dictum ſit Aloën, aſtrictionis, & amaritudinis ratione, craſsioris eſſe ſubſtantiæ, quàm vt ad hepatis penitiora loca poſsit penetrare, quando vtraque, & amaritudo, & multò magis aſtrictio craſſarum ſunt partium, quomodo Rhabarbarum, atque Abſynthium, ſaltem Ponticum, propter eorum ſubſtantiá multò, quàm ipſius Aloës craſsiorem, ob maiorem eorum quàm Aloës aſtrictionem ad hepatis meatus internos ſubire poſsint? Vtrumque enim, & hepar purgare, & vrinas bilioſas ciere aſsiduè experimur. Et Galenus libro XI. Method. Therapeut. author eſt, Abſynthium Ponticum plus cæteris Medicamentis, hepati gratum eſſe. Cæterùm ad hæc, ſi Rhabarbari, atque Abſynthij qualitates omnes diligenter examinentur, facilis reſponſio eſt. Siquidem vtrumq; habet, præter aſtrictionem multam, & amaritudiné, aliquid etiá acrimoniæ: vt de Abſynthio Pontico docet Galenus libro VI. ſimpl. Medicinæ. Quin & Rhabarbari acrimoniam, præter ipſius guſtum,

oſtendit ratio. Nam vt de Abſynthio à Galeno dictum eſt, ita Rhabarbarum, ſua qualicumque acrimonia vrinas bilioſas mouere, & multas experimur. Quia igitur in Abſynthio, atq; Rhabarbaro acrimonia ſubtiliorum eſt partium, quàm eorum amaritudo (vt paulò-pòſt dicetur) ſicut & amaritudo ſubtilioris eſt ſubſtantiæ, quàm aſtrictio. Itaque ſicut amaritudo aſtrictioni viam munit, quia ſubtilioris eſt, quàm aſtrictio ſubſtantiæ: ſic acrimonia, amaritudini, multoque magis aſtrictioni, vt pote quæ ſubtiliorem habeat ſubſtantiam, quàm aut amaritudo, aut aſtrictio. Quare Abſynthij, atque Rhabarbari acrimonia, eorum amaritudini, & aſtrictioni viam facit: adeò vt vtriuſque amaritudo, atq; aſtrictio acrimoniæ auxilio ad hepatis, & aliorum viſcerum ventriculo vicinorum repurganda vaſa penetrare queant, opeque aſtrictionis viſcera roborare, atque firmare. Quò fit, vt Rhabarbarum, Abſynthium, aliaque quarti huius ordinis, Medicamenta, ſimiles qualitates primas, & ſecundas habentia, Dei iuſſu ſic ſint compoſita, ac temperata, vt ventriculum, vicinaque ei viſcera, plus cæteris Medicamentis, detergendo expurgare poſsint, atque aſtringendo leuare. Aloë contrà, quia ſolius amaritudinis, ſua natura terreæ: & craſſæ, licet à calore elaboratæ, & ea ratione aliquatenus extenuatæ cum aliqua aſtrictione, craſsiore, eſt particeps, partium ſubtiliorum defectu ad hepatis partes internas, ſaltem penitiores, aut alia membra remotiora haudquaquam penetrare poteſt. Nec eſt, quòd quis ambigat, cur acris qualitas, paruæ etiam quantitatis, viribus amaritudinem

vincat,

vincat, etſi ea maior ſit: ſicut aſtrictio amaritudine ſuperatur. Huius enim rei cauſa eſt apud Ariſtotelem, lib. IIII. Meteor. capit. I. cùm ait, ignem, omnium elementorum maximè eſſe actiuum, aliorumque, ea ratione, eſſe veluti formam. Vnde & ipſe ſolus, inter elementa non putreſcit. Igitur, quia acris qualitas plurimùm calore igneo elaborata eſt, eiusque multùm eſt particeps, quamuis exigua ſit quantitate: viribus tamen vehemẽter eſt efficax. Sicut amaritudo, quia minori calore, quàm acrimonia elaborata eſt, minusque cõtinet partium ignearum: propterea minoris virtutis eſt, & penetrationis. Quod contrà de auſtera ſiue aſtringente cenſetur, ex ratione contraria: quæ ſunt terreæ frigidæque naturæ. Ex quibus intelligi poteſt, cur Rhabarbarũ, Abſynthium Ponticum, aliaq; ſimilibus qualitatibus prædita, licet plus aſtringentis ſubſtantiæ, in quantitate contineant, quàm vel acrimoniæ, vel amaritudinis, purgat tamen vtrumque, etſi eorum purgatio multò ſit minor, atque infeſta ſtomacho multò minùs, quàm ſi eorum amaritudo ſola eſſet, aut à minori aſtrictione repreſſa. Nam & ea ratione etiam dicit Galenus, Aloën lotam, ventriculum magis roborare, minùs purgare: non lotam verò contrà: vtpote cuius, ſi non amaritudo lauetur, à pauca aſtrictione parum reprimitur. Sed tamen ſi omnino lauetur, adeò vt penè omnem deponat amaritudinem, quamuis ſtomacho non ſit moleſta: parum tamen erit illi grata, parumque illum roborabit, vtpote quæ ventriculum in ſuperficie, & extremitate ſolùm, non intra eius ſubſtantiam aſtringat, & roboret, idque mo-

dicè. Cuius ratio ex Galeno colligi poteſt libro XI. Method. Therapeut. dicente, myrtinum oleum, aliaq; generis eiuſdem aſtringentia ſolùm Medicamenta, quanquam vim aſtrictoriam nacta ſint, eamque validam: quia tamen in eis nihil eſt ſubtilis ſubſtantiæ, quæ aſtrictionem ſua alioqui natura penetrationi contumacem, intra ventriculi ſubſtantiam penetrare faciat: propterea parum roborare poſſunt. Eſt enim aſtringens facultas (vt iam ſæpiùs dictum eſt) craſsiorum ſuapte natura partium, quàm vt altè intra membri ſubſtantiam penetrare poſsit: niſi ſubſtantia ſubtiliore adiuta, in profundum traducatur. Sunt enim talia Medicamenta, quæ cum multa aſtrictione, aliquid habent partium ſubtiliorum, ventriculo, & hepati longè magis conducentia, quàm purè aſtringentia. Quapropter oleum, aliaque ex Abſynthio, (quod Galeno ventriculum roborat,) parata remedia, intrò, aut extrà admota, ventriculo non parum vtilia eſſe dicit: quod idem ſenſerunt Medici eo priores (vt ſcribitur libro VII. Method. Therepeut.) qui ventriculum imbecillum aſtringentibus, & ſubamaris vti iubebất: non puris aſtringentibus. Atque ex ſuperioribus quidem tria concludimus. primùm Aloën ſuapte natura, hoc eſt, illotam, ventriculo eſſe noxiam, nedum ingratam, propter eas cauſas, quas antè attulimus. Deinde, eam omnino lotam, hoc eſt, omni eius amaritudine lauando ſublata, & expurgata nihil: aut certè perpuſillùm ventriculum roborare. Poſtremò eandem modicè lotam, vẽtriculo magis gratam, quàm aut omnino, aut nullo modo lotam: licet eadem modicè

dicè lota,multò minùs,quàm Abſynthiũ Ponticum, aut Rhabarbarum grata ſit ſtomacho. Primùm quia in Abſynthio,aut Rhabarbaro multò maior eſt aſtri-ctio, ventriculum roborans, quàm in Aloë modicè lota. Deinde,quia Abſynthium, vt & Rhabarbarum, odore aliquo grato,prçter aſtrictionem,ventriculum roborat,multò magis quàm Aloë, etiam modicè lota, quæ iucundo illo odore, ventriculum reficiente ca-ret. Vnde Rhabarbarum, & Abſynthium Ponti-cum, multò magis ſtomachum firmant, & roborant, quàm quomodocunque lota Aloë. Ex quibus fal-ſum eſſe Galeni dictum exiſtimamus, quòquò detor-queatur, aſſerentis, Aloën eſſe ſtomacho gratam, vt ſi quod aliud Medicamentum. Nam Rhabarbarum & Abſynthium Ponticum, ventriculo multò magis grata ſunt, propter eas cauſas, quas hactenus com-memorauimus.

CVR amara ventriculo ſint noxia, ipſumq́ue purgent.

CAP. VI.

AMARA AVTEM omnia, vt talia, ſto-macho nocere, præter Galeni authori-tatem, multiplex etiam oſtendit ratio. Primùm, quia nutriuntur omnia dul-ci, ſiue ſimplici, ſiue commixto, vt poſt

Ariſtotelem, libro de ſenſu, & ſenſili, Galenus libro IIII. ſimplic. Medic. cap. XIIII. aſſeruit, dicens, omnia quæ nutriunt dulcia eſſe: & contrà, quæcunque dulcia ſunt, nutrire poſſe. Cui tamen refragatur Theophraſtus lib. VI. Cauſſ. Plant. cap. IIII. ubi docet dulcia aliquot homini noxia eſſe, & deleteria, tantum abeſt vt ipſum nutriant. Dicimus præterea ventriculum, Galeno autore lib. II. Alimentorum dulcibus, & ſuauibus ita nutriri, ſicut inſuauibus offenditur, adeò vt, quò longiùs à dulci ſapore recedunt, eo minùs nutriant, ventriculumque magis offendant. Iam amaritudo dulcedini contraria eſt, ex diametro: ſicut nigredo candori, & tenebræ luci: vt ſentit Ariſtoteles lib. De ſenſu, & ſenſili. Quare amaritudo ventriculum offendit, quia dulcedini ipſum oblectanti, repugnat. Inſuper, amara, vt talia, ſeu fœtida, ventriculo incoctilia ſunt, ipſum vincentia, vt præter Galenum, vult Ariſtoteles I. Problem. Itaque hauſta, atq; intra corpus ingeſta ex dictis rationibus, ventriculum offendunt, atque naturam perturbant. Cæterùm vt eius cauſa appareat, amaritudinis natura, paulò altiùs perſcrutanda eſt. Galenus quidem lib. IIII. ſimplic. Medicin. cap. XVIII. docet eius conſiſtentiam, neque aëream eſſe, neque aqueam: aut ſubtilem, ſaltem ſimpliciter: ſed terream exactè à calore ſubactam, & elaboratam, velutq; ſuperaſſatam. Vnde & alio in loco author eſt, amarum ſaporem calidum eſſe, & ſiccum: ſaltem, vt tale. Calidum, quia calore ſubigente eſt elaboratum: etſi terreum ſit, ſuapte natura. Siccum, tum ex parte cauſæ ipſum efficientis: quia à multo calore ſic-

ſiccante oritur: tum ex materiali cauſa, ex qua fit: quia terrea eſt, & ſicca. Has cauſas appoſitè oſtendit Galenus lib. VII. ſimpl. Medic. cap. Melanthium, cùm ait, terream ſubſtantiam, cùm à calore exactè elaborata fuerit, amaram effici: humido videlicet, quod in ea continebatur, vſtione prorſus conſumpto. Quare & amara omnia tardiſsimè putreſcunt: quia putredo in humido potiſsimùm cõſiſtit. Atque illa eadem ratione nullum animal amaro, vt tali, nutritur: vt veluti præter experientiam, ratio etiam perſpicuè docet. Igitur amara omnia, vt talia calida ſunt, & ſicca, & quã-uis ſint naturæ terreæ, & craſſæ: quia tamen terreum illud, multo calore elaborante, & extenuante ſubtile factum eſt: terreis aſtringẽtibus amara ſubtiliora ſunt: ſicut acribus eadẽ craſsiora deprehenduntur. Sic, amara, quia terrea, craſsiorum ſunt partium: & quia ſuperaſſata ſubtile etiam aliquid, hocque non paucum, retinent. Quamobrem diuerſo reſpectu à Galeno aliquando craſſa, aliquando ſubtilia nominantur amara: quæ propter ſucci humidi, ſiue dulcis (quo omnia nutriuntur) partim calore, partim ſiccitate abſumpti, atq; exhauſti inopiam, ventriculo ſunt prorſus ingrata, & odioſa: potiſsimè, quia amara ſubſtantia, ob eius aliquas partes calore multo aſſatas, ſubtileſque effectas, quæ ſua ſubtilitate ventriculi, partiumque ei vicinarum ſuperficiem, quæ rara eſt, ſubintrando exagitat, detergit, & igneo ſuo calore mordicat, ac pungit. Quò fit, vt amara ipſa ſubſtantia, quatenus talis, ventriculi, partiumque ei vicinarum, facultatẽ expulſiuam excitet: quæ non ſolùm rem infeſtantem, & noxiam,

cum ventriculi, & inteſtinorum ſuccis bilioſis, & aquoſis,& eorum excrementis detergat,atque expurget:verùm etiam ſiccitate ſua præſens vētriculi nutrimentum, atque etiam futurum abſumat prorſus, & deſiccet. Propter quorum defectum, ventriculus ipſe ſiccatur, & tabeſcit ab amaris magis quàm alia membra remotiora:ad quæ amara, vt talia, ſua qualicumque craſsitie impediente, facilè non penetrant: ſed in ventriculo manentia,ipſum expurgando,detergendo,& deſiccãdo,& nutriente omni ſua humiditate priuant,ac ſpoliant. Quapropter ab amaris ventriculus languet,& tabeſcit: vt fuſiùs docet Galenus lib. VIII. κατὰ τόπους. vbi docet, ventriculum ſine ſuperfluis humoribus affectum,marceſcere ob Medicamentum ex Aloë:quia vētriculum,ab aliјs membris, nondũ alterata ipſa Aloë,contingit,ob eamq; cauſam virtute ſua detergente, atque ſiccante, nutrimentalem eius humiditatem abſumit, & deſiccat: vt iam dictum eſt, ventriculumque prorſus tabeſcere facit. Alia autem membra,à vētriculo,non ita ab amaro offenduntur, ad quæ, vt diximus, ob ſuæ ſubſtantiæ craſsitiem non facilè penetrat: Et ſi quando rei amaræ aliqua portio ad remotas corporis partes permeare queat,illud fieri non poteſt,niſi amaræ ſubſtantiæ penetrantis viribus, à ventriculo, partibusque vicinis haud parũ alteratis,atque repreſsis. Ex quibus notum eſſe exiſtimo,qua ratione amara vētriculo,plus quàm cæteris membris ſint moleſta.

Salſa

SALSA etiam ventriculo moleſta eſſe, ipſumq́ detergendo purgare.

CAP. VII.

NVNC vt ſalſi ſaporis naturam cõmodiùs, atque meliùs explicemus, dicimus ſalſa, atq; amara quodámodò ſimiles, & qualitates & facultates habere, & quadam etiam ratione diſsimiles. Conueniunt enim duo illi ſapores, quia ambo terrei ſunt, & ſicci, ac præter id, calidi, hoc eſt, ab immodico calore elaborati, quamuis amarum magis: ſalſum, minùs. Quare & amarus calidior eſt: vt docet Galenus libro II. Natural. facultat. dicens ſingula, quæ immodicè coquuntur, primò fieri ſalſiora, mox amara. Quod euidens probat experientia. Primùm quia aquæ marinæ pars ſuperior ſalſior, quàm quæ ſubſidet, non alia ratione euadit: vt docet Ariſtoteles in Problematis, niſi quia magis, quàm inferior ſolis calore agitatur, & elaboratur: quod qui nauigant, experiuntur. Deinde, quia quòd diutiùs vnumquodq; elixatur, caloreque magis exercetur, eò decoctum ſalſius euadit, tandemq; vehementiùs elixando, amarum redditur, vt bene Protagoras Philotimuſq; ſenſerunt, in hoc tamen decepti, & hallucinati (vt eis ſaltē imponit Gal.) quia rebus omnibus, quę elixatur, idem vſuuenire putauerunt, quod prorſus eſt falſum. Nam ſubſtantia, quæ elixatur, qualitates ſuas primò in decoctũ depo-

uit, vt ſalſedinem, uel amaritudinem: decocta verò, ſiue iura, multa elixatione, ſalſedinem primò, amaritudinem poſteà acquirunt: atq; adeò aqua optima, medicam pura (quæ dari non poteſt) immodica ebullitione ſalſedinem acquirit, authore Galeno lib. XI. ſimpli. Medic. licet interdum pura videatur. Sed elementum purum non eſt: vt eſt apud Ariſtotelem. libr. II. de ortu, & interitu. cap. III. ubi ait, Elementa media, vt ſunt aër, & aqua, magis permiſta eſſe, & impuriora extremis, quæ ſunt, terra & ignis. Itaque aqua licet depurata videatur, & lympida: terreæ tamen alicuius ſubſtantiæ ſemper eſt particeps: cuius cauſa elixatione immodica ſalſa efficitur. Elementa verò pura Ariſtoteli, & Philoſophis omnibus ἄχυμα ſunt, atque inſipida, neque calore aliquo ſaporem acquirunt. Vnde fit, vt non ſine ratione aquam elixent modicè, ad vſus maximè febricitãtium, vt bulliẽdo fumoſum, craſſumq; & terreum, ab aquoſo ſeparentur. Quocirca ſalſa, quia terrea, craſſam habent ſubſtantiam, & quia calore aliquo ſunt agitata, quippiam ſubtile continent, etſi longè ſint craſsiora amaris. Propter quas qualitates, vt de amaris antè diximus, & rationibus prorſus ſimilibus, ventriculum, & inteſtina detergendo ſubducunt: licet multò minùs amaris. Fortiùs autem aſtringunt, quia craſsiora. Quoniam igitur ventriculi, & inteſtinorum partes internas ſalſa ob ſuam craſsitiẽ facilè non ſubeunt (ut dictum eſt) propterea dictarum partium partes externas foris diutiùs accubando magis exercẽt, atq; detergunt, ſuaq; ſiccante facultate, pluſquàm amara, deſiccant, ſitimque afferunt: vt & maiori aſtri-
ctione

ctione ventriculi ſubſtantiam magis cogendo, maiorem amaris afferunt appetitum. *Sic* ſalſa, abſterſiua ſua virtute, ac deſiccante, ventriculi partiumque illi vicinarum humiditatem nutrimẽtalem detergendo, & deſiccando, impendiò ſumpta, membra illa offendunt, & abſumunt, multò magis, quàm alia à ventriculo remota membra, ad quæ minùs quàm amara, propter ſubſtantiæ ſuę craſsitiem maiorem poſſunt penetrare. Quare hæc, cætera ſimilia, & qualitatibus, & facultatibus, penes id ſolùm, quod magis eſt: aut minùs differunt. Si quidem ſalſedo eſt velut principium quoddam amaritudinis. Quicquid enim ſalſum eſt, ſi plurimùm excalfeceris, amarum fiet. Intereſt autem inter ſalſa, atque amara, quòd alia magis, alia minùs ſunt calore elaborata. Sed in omni tamen ſalſo ſapore ineſt aſtrictio, eaque non obſcura, itemq; ſiccitas multa, quibus qualitatibus ea, quæ in eo condiuntur, denſat, & conſtringit, poſt abſumptam, rerum, in ſale conditarum, ab eo vehemẽter ſiccante excrementitiã humiditatem. Qua vna ratione ſal ſua ſiccitate, carnes, aliaque eo condita à putrefactione conſeruat. Siquidem, quæ putreſcunt, excrementitiam humiditatem quandam habere neceſſe eſt. Quamobrem non eſt difficile iudicare, quî ſalſa ventriculum aliquando magis, aliquando minus detergendo, atque ſiccando offendant. Nam vt ſalis variæ ſunt ſpecies: ſic ſalſa inter ſe multùm euariant. Quidam eſt ſal foſsilis, qui minori calore eſt elaboratus, quàm aliæ ſpecies ſalis, ideoque craſsior eſt, ac magis aſtringens, minùs detergens, Sal nitrum, quia multo calore eſt extenuatum, cõtrà, plu-

rimùm detergit,parum aſtringit. Sal marinus,in medio ſitus eſt. Vnde mediocriter detergit, &aſtringit: licet aliquando plus aſtringat, & deſiccet, quæ contingit,quàm detergat,aut ventrem ſubducat.

ACRIA Medicamenta, vt talia, ventriculo eſſe infeſta,ipſumq́ ad excretionem proritare.

CAP. VIII.

ACRIA Medicamenta,vt exiſtimat Galenus lib.IIII.ſimpl.Medi.cap.XVIII.omnium ideo calidiſsima ſunt,quia plurimo calore ſunt elaborata, extenuata, & ſuperaſſata: qua ratione aſtringentibus & qualitate, & facultate prorſus ſunt contraria. Nam aſtringentia quidem, quia ſuapte natura(hoc eſt,vt talia)frigidam,craſſam, & terream ſubſtantiam habent,calore nullo,aut certè pauco elaboratam. Quocirca refrigerant, cogunt, incraſſant, & repercutiunt.Acria autem contrà propter eorum ſubſtantiam immodico, ſiue igneo ſuo calore vehementer ſupercalfactam, ſubtilem redditam, atque exuſtam, valde calfaciunt, extenuant,fundunt, & attrahunt: ac propter calorem immenſum, mordicant,vlcerant, vrunt. Terminus,inquit Galenus, acris ſaporis,eſt vrere: quia calore igneo vehementer eſt aſſus,ſicut amari,eſt detergere : quia minus habet caloris.

ris. Dulcis verò nutrire. Si tamen iſti ſapores alijs nihil, aut parũ admixti fuerint, vel adulterati. Acrium enim Medicamentorum, ſicut & amarorum, differentia eſt multiplex. Quædam enim à tota (vt loqui ſolet Galenus) ſubſtantia homini aduerſantur, totoque genere lethalia ſunt, qualia ſunt ea, quę à Græcis σηπτικὰ, à Latinis putreſcentia dicuntur, vt Arſenicum. Alia ſunt acria, caloris ſola ſua immoderatione talia: quæ in duas itidem ſpecies diuiduntur. Quædam enim, ſi ad acria referantur, craſſę ſunt ſubſtantiæ: quæ, ſi vehementer ſint acria, vrunt, vt carbo ignitus: ſin caloris minus obtineant, meatus aperiunt. Alia ſunt ſubſtantiæ tenuis, quæ ſi naturæ ſint incoctilia, & propter ſaporem ingratum exoſa, ob id deuorata à toto corpore ſuccos ad ſe trahunt, & purgant: contra autem ſi vel odore bono, vel ſubſtantiæ modo, vel ſapore aliquo naturæ placent, urinas, vel ſudores ducunt. Et in ſumma acria omnia, vt talia incîdunt, attenuant, per halitum digerunt, quorum quædam eſui inepta non ſunt, quæ dulcedinem quandam ſuæ acrimoniæ habent admixtam, vt allium, cepa. Alia prorſus inepta ſunt, atque adeò quædam planè mortifera, non Medicamenta: ſed deleteria, vt cantharis. Alia porrò ſimpliciter ſunt Medicamenta: omnia tamen cuti humanæ externè appoſita, vlcus moliuntur. Ex quo tandem acrium Medicamẽtorum naturam, paucis Galenus abſoluit, dicens, eam igneam eſſe, ſubtilem, extenuantem, mordicantem, vlcerantem, vnde ea digerunt, attrahunt, perrumpunt, purgant,

cruſtam faciunt,& vrunt. Quas ob cauſas acria Medicamenta, impenſè talia,potiſsimè,quæ qualitatem naturæ habent exoſam: qualia ſunt purgantia per excellentiam omnia, non modò ventriculi ſuperficiem (vt amara) detergendo purgant, atque infeſtant: ſed etiam eius ſubſtantiam ignea ſua ſubtilitate ſubintrando frequẽter mordicant,ſauciãt, atq; exulcerant. Qua vna ratione non ſolùm ventriculo ſunt infeſta huiuſmodi acria Medicamenta,ſed peſtifera,& deleteria (niſi qualitate aliqua ventriculo gratia eorum acrimonia reprimatur.) Et ventriculus penitioreſque corporis totius partes ad quas ſubtilitate ſua facilè penetrant ab eorũdem malitia certis auxilijs tueantur,non impedientibus tamen dictorum purgantium facultatem purgatiuã: quibus Hippo.lib.ij.de ratione victus acut. vtendum eſſe docet. Quare & hoc nomine acria Medicamenta ventriculum purgare dicuntur. Cùm enim multa ſint,quæ ad purgationem excitent: vnica tamẽ mordicatio organa corporis ad excernendum proritat: vt docet Galenus libr.III.ſimpl. Medic. cap.vltimo. Sed hæc de acribus, quorum acrimonia alia quadam ventriculo grata qualitate, nullo modo eſt repreſſa,intelligenda ſunt. Siquidem acria nutrimenta: vt ſunt allium,cepa,præter eorum inſignem acrimoniam nonnihil etiam habent dulcedinis ventriculo gratæ,vel aſtrictionis: ideoque à ventriculo retinentur,alterantur,& tranſmutantur: vt docet Galen. libr. III. Temperamentorum. Acrem verò eorum ſubſtantiam omnem, tanquàm nutricationi inutilem natura per ſeceſſum, vrinas,vel ſudores expellit: vnde

nutri-

nutrimenta Medicamentoſa vocantur. Sicut enim in febribus putridis, in quibus poſt phlebotomiá, purgationesq́ue conuenientes, quod ſupereſt ſucci acris febrili calore aduſti, & incinerati, id ipſum totum natura, poſt ipſius à ſuccis conuenientibus ſecretionem propter ipſius rodentem acrimoniam, per aluum vrinas, & ſudores copioſos ſolet expurgare: ſic purgantis Medicamenti acrimonia mordente natura percita ad inutilium ſuccorum excretionem ſuſcitatur. Ex ijs ergo, quæ antè diximus, ſatis conſtat, acria omnia (ſaltem vt talia) ne dicam nutrimenta, hoc eſt, quæ qualitate aliqua ventriculo grata participant: ſed planè Medicamenta, qualia ſunt per excellentiam purgantia, ventriculo prorſus eſſe infeſta, peſtifera, & deleteria. Non quidem, (vt multi putant) à totius ſubſtantiæ commentitia quadam proprietate: ſed à qualitatibus (vt nuper docebamus) elementarijs, primis, & ſecundis, calore videlicet immodico, & roſione mordente: propter quas qualitates primas, & ſecundas reprimendas, vel potiùs ad earum noxam tollendam, ſeu reprimendam, Hippocrates, ac poſt enim Galenus lib. I I. de ratione victus acut. propinare etiam præcipiunt, ſtatim à Medicamento per excellentiam purgante, ſumpto ptiſſanam, quæ Medicamẽti aſſumpti calorem immenſum, & roſionem à qualitatibus elementarijs moleſtãtem, & mordicãtem ſua etiam qualitate elementali, ptiſſana frigiditate videlicet, calori Medicamenti aduerſante, & deterſione mitiget, vel abigat, dum Medicamenti calorem igneũ, ptiſſana frigiditate ſua reprimit, ipſumq́ue Medicamentum ab orificio ven-

triculi, cum ipſius noxia mordicatione detergẽdo, ad fundum ventriculi detrahit: vt loco iam dicto, & libello, quos oporteat purgare, Galenus fuſiùs demonſtrat.

CVR Acria multa, extrinſecus admota, cutem externam vlcerent: eadem autem comeſta, ventriculum, quem intrinſecus contingunt, non vlcerent.

CAP. IX.

DEINCEPS, poſtquàm ex Galeno cauſam oſtendimus, cur ſalſa, amara, & acria, vt talia, atque abſolutè ſpectata, hoc eſt dulcedini, vel alteri qualitati ventriculo gratæ, parum, vel prorſus nihil permixta, ſtomacho infeſta ſint, aluumq; deijciant: non à tota illa quidem ſubſtantia (vt fuſiùs paulò-poſt docebitur) ſed à certis cauſis poſteà dicendis & demonſtrandis: nunc igitur, vt Medicamentorum per excellentiam purgantium, quæ omnia in acrium genere ſunt, naturam meliùs explicemus, ſupereſt, vt oſtendamus, cur acria multa cutem externam, cui ſufficienti tempore admouentur, vlcerent: ventriculum verò, quem deuorata intrinſecus diutiùs, contingunt, non vlcerent. Galenus quidem multis in locis, potiſsimè libr. II. Temperament. huius rei quatuor affert cauſas, quas ſi attentè ſtudioſus lector conſideret, eas reperiet non ſolùm infirmas, atque inualidas, ſed etiam Galeno ipſi purgantes. Is igi-

tur

tur ait,acria multa deuorata ventriculum non vlce- «
rare: quia inquit,in ventre coćta,& in venis in ſangui- «
nem verſa alterantur,atque mutantur. Prætereà quia «
deuorata,vno loco non permanent:ſed in multas par- «
tes diuiſa quoquouerſus feruntur. Adhęc,quia celeri- «
ter eorum & coćtio,& partium ſeparatio perficitur: «
ita vt quod in eis eſt cõueniens citò aſsimiletur: quod «
autem acre,& ſuperuacuũ,per aluum,vrinas,vel ſudo «
res excernatur. Poſtremò,quia multis ſuccis,& ci- «
bis, quibuſcum ſiue obſonij, ſiue nutrimenti cauſa «
acria ſumuntur, in ventriculo miſcentur, à quibus «
eorum acrimonia retunditur. Hæc ferè Galenus, cu- «
ius prima ratio nugatoria prorſus eſſe videtur, dum problema quod diſputandum proponit, pro eius prima ratione malè aſſumit,cùm potiùs docere debuiſſet, cur ſinâpi,vel alia id genus acria,ſiue edulia, ſiue Medicamenta comeſta, dum in ventriculo retinentur ipſum, priuſquàm in eo coquantur, non vlcerant: cuti verò externæ admota ipſam vlcerent. Hoc enim erat problema propoſitum. Enimuerò nemo eſt tam ſtupidus, qui non intelligat, eſculenta quantumuis acria deuorata, poſtquàm in ventre ſunt coćta, atque in venis in ſanguinem verſa, non poſſe interna vlcerare, tum propter ſuæ ſubſtantiæ alterationem, tranſmutationem, & coćtionem: tum propter loci mutationem: dum huiuſmodi acria, à ventriculo in quo coćta ſunt, ad venas, vt ſanguis fiant,transferantur: quorum neutrum adeſt ſinâpi, aut alijs id genus acribus recens comeſtis, dum loco non mutato ſatis diu in ventre retinentur,

priuſquàm coquantur. Quo tempore ventrem vlcera re poſſunt, niſi alia obſtaret cauſa, à Galeno prætetita. Ex quo apparet, (quod paulò-pòſt clariùs intellige-tur,)primam illam Galeni rationem, eſſe prorſus inef ficacem. Quod autem aliæ cum eo pugnent, perſpici poteſt, ex ijs, quæ ab eo ſcribuntur libr. I I. & I I I. Natu ra. facult. vbi ex Hippocrate, & Ariſtotele docet, co-ctionem nihil aliud eſſe, quàm alterationem quãdam, nutrientiſque ſubſtantiæ, in propriam, rei quæ nutri-tur, ſubſtantiam tranſmutationem. Et paulò-pòſt ad-dit, idcirco fieri attractionem, vt ſit appoſitio. Tem-pus tamen, inquit, ad coctionem, & animalis nutritio-nem multò maius requiritur, quàm ad nutrimenti at-tractionem. Trahi enim breui tẽpore aliquid poteſt: alterari, coqui, & aſsimilari, tepore breui non poteſt. Nam appoſitus ſuccus, niſi in particula quieſcat, ſed in aliam aliquam partem transferatur, & confluat, lo-cum ſubinde alium, atque alium mutans, vtique in nul lo horum neque coctio, neque aſsimilatio erit. Et lib. priùs dicto I I I. oſtendit, tẽporis moram, præter cęte-ra, coctioni vẽtriculi eſſe neceſſariam: propter quas ra tiones, virtuti nutritiuæ, retẽtrice facultate opus fuit. Cauſa autẽ, cur vẽtriculus diutiùs cibos retineat, eſt, vt quod in cibi qualitate ventriculo eſt conueniens, partem aliquam coquat, capiat, & id totum ſibi ap-ponat, ac demum quod ſuperuacaneum eſt, excernat. Atque hęc quidem Galenus, quę ſi vera ſunt, fieri non poteſt, vt acrium comeſtorum alteratio, ac ſufficiens coctio, tam celeriter fiat, vt putauit Galenus, par-tiumq; ſeparatio, ſiue loci mutatio, niſi priùs illa acria

deuora-

deuorata in ventriculo,& tempore ſufficienti, & locum non mutantia retineantur, priuſquàm coquantur. Debet enim tempus retentionis æquale eſſe tempori coctionis: vt docet Galen. lib. III. de Symptomaton differentia: quo tempore, niſi alia cauſſa obeſſet, quam poſteà exponemus, comeſtum ſinâpi ventriculum vlceraret, vtpote quod, neque planè coctum eſt, dum multo tempore retinetur, neque locum mutauit: vt conſtat. Quapropter Galenus aperta ſibi contradictione repugnat, quando contra ea, quæ priùs dixerat, aſſerit, acrium, in ventriculo exiſtentium, celerem eſſe & coctionem, & loci mutationem, ob eamq́ue cauſam ventriculum comeſta non vlcerare. Neque valet eius vltima ratio, qua ait, ſinâpi, atque ſimilia deglutita ventriculum non vlcerare, quia cum ſuccis, aut cibis deuorata in ventriculo miſcentur, qui talium acrium retundant acrimoniam. Contrarium enim & ratione, & experientia probari poteſt. Nam Hippocrates IIII. Aphor. iubet corpora, quæ non facilè ſuprâ elleboro purgantur, pluri cibo, & quiete humectanda eſſe: quæ humectatio exiſtere nō poteſt: niſi ſuccis multis vnà cū elleboro in vētriculo additis, qui eius vim purgatoriam in illius acrimonia cōſiſtentem, meliorem, id eſt, naturæ tolerabiliorem faciāt, tantùm abeſt, vt eam impediant. Sic igitur quemadmodum ellebori acris, purgatoriaq́ue facultas, humiditate cibali ſuperaddita non impeditur: ita eduliorum acrium vis acris, atque exulcerans ab aliorum admixtione impediri non debet. Quid plura? Experiuntur Medici practici penè omnes (quod etiam docet Dioſcorides

Anarzabeus) ſinâpi quomodocunque commixtum, ſiue cum ficu, ſiue aliter ſubactum diligenter, & ſic cuti admotum, eam cum rubore quodam cruento vlcerare, eoque artificio coxendici mederi. Non igitur mixtione ſucci, vel cibi, vis vlceratiua ſinâpis, ſiue intrà ſumatur, ſiue extrà admoueatur, impediri debet, vt non poſsit quoquomodo vlcerare. Ex quibus conſtat ſanè Galeni rationes eſſe vanas, atque omnino ipſi pugnantes. Quamobrem Problematis huius alia ratio diſquirenda eſt, quæ eſt, meo quidem iudicio, talis. Quia ſinâpi multò aliter cutem externam, cui admouetur, ſiue ſimplex, ſiue commixtum afficit, atque aliter ventriculum, quando deuoratur, (ut poſteà fuſiùs explicabitur) quoniamq; ventriculi calor, multò maior eſt, magiſq; rem deuoratam alterans, vincens, atque tranſmutans, quàm cutis externæ calor, rem ſibi admotam alterare queat, & tranſmutare: propterea ſinâpi extra admotum, idemq; voratum à ventriculo longè aliter repatiatur neceſſe eſt, vt nulli non eſt notiſsimum. Sinâpi enim cutem externam, cui admouetur, ſolo ſenſu tactus, per ſuum calorē qui igneus eſt & ulcerans, ſi non impediatur, afficit, eaque ratione rubefacit, aut exulcerat: quia nō aliter à cute, niſi ab eius calore, ſenſu etiam tactus, repatitur. Atq; is calor paruus eſt, paruæq; afficiendi facultates, ſi cùm ſinâpis comparetur, qui igneus eſt, & vlcerans. Quapropter meritò à proportione maiori caloris ſinâpis, calor cutis vincitur, & vlceratur. Sinâpi verò comeſtum, etſi ventriculum, ſuo calore, ſenſu tactus etiam afficiat: non tamen vt cutem externam. Sinâpi enim

ventri-

ventriculum præter tactus ſenſum, conuenientis etiam appetitu, ratione ſuę cuiuſdam dulcedinis, ventriculo gratæ, afficit, oblectat, & reficit, ſi in quantitate moderata ſumatur. *Siquidem* hunc appetitum, ſiue indigentiæ ſenſum, ſoli ventriculo, aut eius ori ineſſe docet Galenus libr. IIII. de vſu partium: non reliquis corporis partibus, quæ tametſi omnes conuenientis naturalem amorem habeant, diſconuenientiſque odium: nulla tamen corporis particula, alia à ventriculo, indigentiæ ſenſum illum obtinet, vtpote qui ſibi primò, & per accidens corpori toti, & appetit, & coquit: quem, ſenſum naturæ beneficio, præcedit linguæ iudicium, quę cibis ijs, quibus eget vētriculus, delectatur: vt vult Galen. lib. III. de Sympt. cauſ. Ergo Sinâpi comeſtum, primo occurſu, ſuo calore ventriculū calfacit, & præter id, ſua qualicunq; dulcedine, vētriculo familiari, & grata, ſi moderatè ſumatur, appetitum vētriculi mouet, & oblectat. Cuius vnius dulcedinis (licet pauca ſit) gratia, cum voluptate à ventriculo retinetur, & circumquaq; amplexatur: & præter id ab humido natiuo vētriculi, & aëreo eiuſdem ſinâpis ſubſtātiam diſſoluēte obſidetur, atq; ita fortiùs, ac meliùs alteratur, vincitur, & coquitur: vt docet Galenus in II. Aph. Com. XXXVIII. vt quicquid in ipſo ſinâpi dulce eſt, atq; vētriculo gratū (illius acrimonia ignea, coctioni aduerſante, nō obſtāte) in eo alteretur, trāſmutetur, & coquatur: ſicut cōtrà, quòd in ſinapi acre eſt, coctioniq; cōtumax, tāquā vētriculo noxiū (vt cap. ſuperiore docuimus) id totū, per aluū, vrinas, & ſudores, tanquàm ſuperuacaneum, ibiq; odioſum expellat natura,

atque excernat. Quia igitur moderatus cutis calor eſt, reſpectu actiuitatis caloris ſinâpis, quia etiã cutis ipſa ſinâpi, ſibi extra admotum circumquaque non amplexatur: idcirco ſinâpi ſibi admotum non ita poteſt tranſmutare & vincere. Ventriculi autem natiuus calor, tranſglutitum ſinâpi, tanquàm ſibi gratum, atque conueniens, vt eo fruatur, amplexatur: atq; idem prçtereà calore viſcerum, ei vicinorum, plurimùm augetur, & roboratur, vt cordis, hepatis, ſplenis, omenti, muſculorum dorſalium, qui ventriculo, vt ſubſterniculum, ſubſunt: quorum omnium natiuo calore, vt docet Galenus lib. IIII. de vſu partium ventriculi calor fortior fit, & magis tranſmutans. Quamobrem multò vehementiùs ab aliarũ partium ei vicinarum, multo calore auctus, ideoque magis alterans, & conficiẽs, ſinâpi comeſtum magis alterat, fortiusq; multò tranſmutat, quàm cutis calor illud extrinſecus ſibi admotum tranſmutare poſsit, & coquere. Et ea ratione ventriculus, propter alterandi, & coquendi facultatem vehementem, organum coctionis dicitur, ſicut inteſtina, excretionis. Sinâpi igitur, tum quia comeſtum ventriculo gratum eſt, & nullo modo cuti externæ: tum etiam, quia ventriculi calor ſiue ſuopte, ſiue viſcerum ei circunſtantium calore adauctus multus eſt, & præter id aërei humoris multùm particeps: quibus qualitatibus contenta in ventriculo validiùs immutat & cõficit, lõgeq; efficacior fit calore cutis externæ: propterèa multò minùs à calore cutis externæ ſinâpi repatitur, & alter à ventriculi calore interno multò magis. Itaque non debuit mirari Galenus, neque poſt eum, Alexan-

Alexander Aphrodiſieus, cur ſinâpi cutis calorem vincendo ipſam, vlceret: contrà verò in vētriculo exiſtens, ab eius, partiumq́ue ei circunſtantium multo calore, & halituoſo, & plurimùm aucto, ideoq́ue magis alterante, tranſmutante, & conficiente vincitur, & alteratur. Vnde ſinâpi comeſtum, dum à calore ventriculi interno multùm aucto ſic alteratur, & tranſmutatur, vētriculum quidem ipſum vlcerare non poteſt: cutem verò, ita, vti diximus admotum, propter eas cauſas, quas antè attulimus, poteſt vincere, & vlcerare.

Medicamenta per excellentiam purgantia, à forma ſubſtantiali, vt primo mouente, & à qualitatibus elementarijs primis, & ſecundis, ſuccos ſibi proprios à toto corpore trahunt & purgant.

CAP. X.

ANTE demonſtrauimus, medicamenta propriè purgantia, ſuccos ſibi conuenientes, à totius ſubſtātiæ ſimilitudine, ſiue proprietate, neque trahere, neque purgare. Nunc igitur ſupereſt, vt doceamus, qua facultate huiuſmodi purgantia, ſuccos ſuæ facultati purgatoriæ conuenientes, à toto corpore trahant, & purgent. Dicimus igitur (vt hinc inſtitutum noſtrum demonſtrare aggrediamur) vegetabilia omnia, ſicut quod ſibi gratum eſt,

& conueniens appetunt naturali quodam amore, atq; pro viribus ad ſe trahunt, & alliciunt: ſic quicquid ſibi noxium eſt, & offendens, natiuo quodam odio aduerſari, & quantùm poſſunt, vel declinare, vel à ſe reijcere, & propulſare: vt præter experientiam, omnibus notam, doctiſsimorum & Philoſophorum, & Medicorum authoritas atteſtatur. Ex quo, tanquàm per ſe noto principio, facile eſt demonſtrare, purgationis omnis ab humano corpore factę, ſiue arte, ſiue natura: primam & potiſsimam cauſam eſſe offenſionem, quæ vt bifariam corpori humano infligitur, ſic illud duobus modis ad excernendum prouocat. Primûm quantitate nimia, quæ plus iuſto aut diſtendendo, aut grauando offendit, eóque nomine ad excernendum impellit. Deinde, qualitate, & acrimonia, quæ vehementer calfaciendo, pungendo, vel rodendo, primò ad ſe trahit, & præter id, naturam etiam infeſtat, & ad expellendum cogit. Quare ab hac offenſa duplici, euidens ratio pendet, non ſolùm purgationis, verumetiam excretionis omnis à toto corpore, ſiue arte, ſiue natura factæ, vt poſt Ariſtotelem, ampliſsimè interpretatus eſt Galenus, libr. III. Natural. facult. verùm ea quæ nimia quantitate propter nimiam aut tenſionem, aut grauitatem naturam offendunt, & ad excernendum prouocant, vt neque Ariſtoteli, neque Galeno rationem habent Medicamenti, etſi naturam quodammodo vincant, & ad excernendum compellant: ſic neque inter purgantia Medicamenta veluti ſuprà docebamus aſcribi debent. Quamobrem ea modò propriè purgantis Medicamenti nomen, rationemque ſortita ſunt,

ſunt,quę ingrata ſua qualitate, naturam alterant,& offendunt,hoc eſt,pręter quàm quòd,fœdo ſuo,incoctilique nidore,naturæ ſunt moleſta: calorem etiam immoderatum,& acrimoniam vehementē habent, qualitates naturam valde calfaciendo, vel mordendo offendentes,exagitantes,atque ad excernendum prouocantes. Sunt enim omnia propriè purgantia vehementer calida,& acria (vt ex Galeno ſæpe docuimus)prętereaque, fœdo ſuo ſapore,naturæ ingrata,& incoctilia. Ea autem quæ in parua etiam quantitate ſumpta corpus occîdunt, quamuis ſint valde calida, & incoctilia, toxica ſunt: non Medicamenta. Dancus prætereà,piper,aniſum, aliaque id genus, licet immodico calore,& acrimonia inſigni ſint prædita: quia tamen ſapore ſuo,vel odore aliquo naturæ ſunt grata, atque amica,ideoque coctilia (in quantitate ſaltem moderata) Medicamentorum purgantium albo haudquaquam adnumerantur:ſed potiùs diureticorum:vt multis in locis docet Galenus. Quocirca purgationis propriæ dictæ ratio,& cauſa,ſaltem inſtrumentalis, à qualitatibus elementarijs primis,vel ſecundis depēdet, hoc eſt, ab immodico calore, & acrimonia, iunctis cum nidore quodam, naturæ ingrato. Quæ qualitates, vt illud prætereamus, quòd ſuapte natura, à toto corpore ad ſe trahunt,adeoque à partibus remotis:naturam quoque exagitant, commouent, rodunt, & ad expellendum compellunt: quamquàm forma ſubſtantialis vbique, tanquàm primum, & per ſe mouens, in omnibus naturæ operibus concurrat. Porrò, calidum, non ſolùm ſuſtantiam liquat, fundit,

atq; à ſuo loco commouet & ſegregat etherogeneam: ſed eam fuſam,& commotam,ſiue intra corpus ſumatur, ſiue extrà admoueatur, ſemper exagitat,& ad ſe perpetuò trahit:quemadmodum frigidũ ſemper constringit,& à ſe repellit,authore Galeno lib. v. ſimpli. Med. cap. x v i. Trahit igitur primò,& per ſe,ad ſe,omne calidum,idque ratione vniuoca, potiſsimè quando eſt (veluti ſunt per excellentiam purgantia omnia) ſubtilium partium,authore Galeno. Trahunt etiam acria omnia, à toto corpore, cucurbitulæ modo:vt idem docet libr. i i i i. Method. Therapeut. idque maximè intra corpus aſſumpta, propter eas cauſas,quas ſequenti capite exponemus. Huiuſmodi ſunt purgantia omnia propriè Medicamenta intra corpus aſſumpta:quæ ob id valde calida ſunt, ſubtiliumq; partium, quia acria:vt tradit Galenus libr. i i i i. ſimplic. Medic. cap. x v i i. & x v i i i. Trahunt igitur ſubtili ſuo calore,& acrimonia,per excellentiam purgantia omnia, ipſo etiam Galeno authore. Quæ ſi caloris immodici,& ſubtilis,acrimoniæque trahentis,inſuperque naturam ad excernendum prouocantis eſſent expertia, aut demum ſi aliqua per excellentiam purgare deprehenderentur dictas qualitates non habentia, meritò pro attractione,& purgatione eorum ſuccorum, à toto corpore facta, rationis melioris defectu,ad has commentitias,omnique ratione,& experientia deſtitutas ſubſtantiarum ſimilitudines, ſiue proprietates confugiendum eſſe tanquàm ad aſylum ignorationis tutiſsimum cum Galeno exiſtimarem. Verùm quia purgationis propriè dictę euidens cauſa,non ſolùm rationibus

nibus multis & apertis ferè ex ipſius etiam Galeni doctrina ſumptis, & nobis in medium partim adductis, partim adducendis, verum etiam & experientia nulli Medico non facilè perceptibili, euidēter demōſtratur conſiſtere in qualitatibus elementarijs primis & ſecundis (ſaltem velut priùs dictum eſt vt inſtrumento) Propterea ridiculum fuerit pro dictæ purgationis ratione ad has ſæpius dictas ſubſtantiarum familiaritates confugere: quia nihil in natura eſſe poteſt ocioſum. Experiri etiam quilibet poteſt, nulla prorſus dari poſſe Medicamēta ſiue ab animalium, ſiue mineralium, aut vegetabilum plantarum partibus ſelecta fuerint, modò qualitates priùs dictas (eo vt dictum eſt modo) vehementer intenſas & deleterias habuerint: (dummodò etiam topica non ſint) quæ non ſuccos à toto corpore ſicut & alia propriè purgantia nobis ab antiquis tradita, & longo vſu comprobata, & propter eaſdem cauſas trahere, & per excellētiam purgare deprehendantur: quorum copioſam ſupellectilem, eamq; ferè vbique paratu facilem non minùs diligenter quàm doctè (ſaltem vt ſuo tempore) Ioan. Meſ. parte ij. libri ſui de re Medica) poſteritati (quantum vſui Medicorum ſatis eſſe debet) reliquit. Ioan. tamen Manard. ſecundo tomo epiſtolarum non pauca ventrem quomodocunque ſubducentia Medicamēta ipſi Meſui ſuperaddidit ex idoneis authoribus collecta: quorum omnium ſi quiſpiam ſicut & aliorum omnium ſimiles qualitates habentium licet nondum innentorum, neq; expertorum facultates experiri voluerit, ſicut & primi Medici experti ſunt, experiētur ſanè noſtras ratio-

nes de Medicamentorum quomodocunque purgantiũ facultatibus eſſe,& Dioſcoridi, & Galeno, & preter id euidenti experientiæ maximè conformes. Cæterùm nemo mirari debet,cur purgantia illa Medicaměta, etiam ab alto corporis,ſiue à toto corpore (veluti loco priùs citato docet Galenus) ſuccos purgandos,ſibi conuenientes à qualitatibus elementarijs ſæpiùs dictis ad ſe trahant,& expurgent:tametſi non inficiamur,acria non pauca,craſſarum eſſe partium,quę vehementer vrunt, vtpote quorum quędam partes, ignito calore ſuperaſſante, & attenuante, in quibus acris conſiſtit qualitas,craſſo multo terreo, nihil, aut parum ab igneo calore elaborato, miſcětur. Vnde mixtum totũ craſſum permanet,licet non paruam retineat acrimoniam. Propter cuius craſsitiem,parum penetrare poteſt, & ob id à partibus remotis minùs adtrahit, niſi forſan aquoſa, atque ſubtilia: vt capi. ſequenti docebimus:ſed membris, extrinſecùs incubando adhęrens,vehementiùs vrit. Sin autem mixtum tale, hoc eſt, craſsiorum partium minùs caleat,non vrit quidem,ſed meatus occluſos deobſtruit. Quod ſecus in calidis,acribuſque contingit,ſubtîlis potiſsimè ſubſtantiæ:qualia ſunt propriè purgantia temere omnia, quæ ea ratione ſuccos ſibi conuenientes à toto corpore,nedum à ventriculo,& inteſtinis (citra eam,quæ à tota ſubſtantia operari dicitur, proprietatem) trahunt, & expurgant. Huiuſmodi enim Medicamenta immoderato ſuo calore,ingentiq́ue,atque ſubtîli acrimonia,vniuerſum corpus facilè ſubeunt,in ipſumq́ue totum agunt (authore Galen.libr. IIII. ſimplic.

Med.

Med.cap.XVII.)ipſiuſq́ue ſuccos,partes internas corporis obſidentes, quos ſuo ſubtili calore commouent, diſſecant, ab alijs diſgregãt,& ſecretos attrahunt:ſuaq́; demũ acrimonia,partes internas mordẽte, & vehemẽter rodente,& ad excernendũ proritante, eoſdem ſuccos à profundo corporis trahunt,& purgant: quando excretionis organa,etſi æquiuoca ratione, ad excernendum adurgent. Siquidem vnica mordicatio,quam plurimam habent ſingula per excellentiam purgantia Medicamenta, (teſte Galeno lib.III.ſimpl.Med.capit. vltimo)excretionis organa ad expurgandum excitat: vnde & dicta mordicatio ſola ſi vehemens ſit, ſufficiẽs cauſa eſſe põt purgationis propriè factæ. Ex quibus perſpicuè colligi poteſt,cur Galenus dicat in IIII. de ratione victus acutorum, purgantia propriè Medicamenta, corpus uniuerſum calfacere,fatigare, & frangere, ideoq́ue febre valida laborantibus apprimè eſſe noxia. Quia igneo ſuo calore, corpus totum perreptante, & infeſtante febrilem calorem augent, & vires minuunt:quæ omnia rationibus ijs, quas antè attulimus, conſentanea ſunt. Apertè etiam ex prædictis (ſi purgationis rationem ad qualitatum prius dictarum vires, & non ad ſubſtantiarum ſimilitudinem referamus) colligi poteſt, cur dicat Hippocrat. eos qui ſalubri ſunt corpore difficulter ferre Medicationes:calor enim immoderatus nidoroſaque & naturæ ingrata acrimonia, aliæq́ue purgantium Medicamentorum noxiæ qualitates humorum in corpore ſalubri vnà cum ſanguine propriè dicto admixtorum, & homini ſano contemperatorum

commoderatam proportionem, ſymmetriamque tem peraturã partium etiã internarũ compoſitionem iuſtam trahendo, & quod in corpore ſalubri neq; quantitate, neque qualitate offendit purgando, alterãdo, rodendo meatus internos pateſaciendo peruertunt, exagitant, corrumpunt, & prorſus diſſoluunt. Contrâ verò ſi purgationis cauſam ad ſubſtantiarum occultam proprietatem quiſpiam referat, continuò pro dictarum moleſtiarum, quæ ſalubri dum purgatur accidũt corpori. Rationibus, ad proprietatum cęcas tenebras rationis luce omiſſa, confugiat, oportet: vt pote qui rationem nullam aſsignare, ſed nec per ſomniũ quædam excogitare poſsit: quî fieri poteſt, vt ſalubre corpus dum ab hac ſubſtantiarum ſimilitudine, ſiue familiaritate purgatur, ſic alteretur, ſic commoueatur, & infeſtetur: vt ab eadem purgatione contabeſcat prorſus, & diſſoluatur? Quinetiam illa ipſa propriæ purgationis ratio, citra proprietatem à tota ſubſtantia operantem, ex ipſo Galeno rationibus ſuperioribus adiungi poteſt. Scribit enim lib. I I I. ſimp. Med. cap. vltimo, & penultimo, Medicamenta per excellẽtiam purgantia omnia, ſuo, quo internas partes commouent, calore, moleſtoque morſu, meatus, potiſsimè ventriculo vicinos, dilatare, & aperire, purgationique aptiores reddere. Quapropter dilatata vaſa interna, maximè maiora (vt lib. I I I. facultatum natural. docet Galenus) à ſibi vicinis partibus, ad ſe trahunt, & illæ rurſus ab alijs. Qua vna ratione, Medicamenta purgantia, ſua multa caliditate, & roſione mordaci, primorum vaſorum dilatationẽ efficiẽdo, attractionis ſucceſsionẽ, à par-

partibus ſibi vicinis, etiã vt afferant eſt neceſſe: & illæ quoque per vacui ſucceſsionem ab alijs. Vnde ratio alia propriæ purgationis facilè colligi poteſt, quæ eo potiſsimè nititur, quòd acria, & calida Medicamenta omnia, ſuapte natura, maximeque cùm vehementer ſunt talia, qualia, & ſubtilium partium, qualia ferè ſunt propriè purgantia omnia, ſiue intra corpus ſumantur, ſiue extra admoueantur, à qualitatibus primis, & ſecundis, perpetuò ad ſe trahunt, etiam à remotis partibus. Epomphalia enim, ſiue vmbilicalia emplaſtra, ſic dicta quia iuxta vmbilicum admouentur, duobus modis, pro vaſorum internorum duplici progreſſu, ſuccos à corpore trahũt, & purgãt. Primùm enim, quia ex medicamentis, & valde calidis, & multùm acribus conficiuntur, extrinſecus admota, ſpiritum, & ſanguinem ſubtiliorem à corporis habitudine, per vaſa anguſta, peneque capillaria, & ob id ſuccis talibus deferendis idonea, ſuo calore, ac morſu rubificando, ad cutem externam protrahunt, idque auxilio viarum, ad tales ſubtiles ſuccos, ad partes externas deferendos, conducibilium. Contra verò eodem ſuo calore, ſubtilique acrimonia cutem externam penetrando, & partes intimas ſubeundo, ſuccos, & ſubtiles, & craſſos, in vaſis maioribus, circa ventriculum & inteſtina contextos, à proprijs ſedibus commouent, incidunt, & exagitant, naturamque vehementi, & calorifico ſuo morſu ad ſuccos illos excernendos proritant, atq; compellunt. Non quidem ad ſe, ſiue ad partẽ externã, propter ſubſtantiarum ſimilitudinem quandam familiarẽ, veluti malè (multi putant) adtrahendo, vt docet experientia:

ſed potiùs per meatus ſuccis talibus deferendis, ſiue tranſmittendis idoneos, hoc eſt, capaces, & ſatis magnos: vt ad ventriculum, & inteſtina ſucci illi calore & acrimonia cōmoti, ſiue craſsi, ſiue ſubtiles per eos meatus, tranſmitti poſſunt & purgari. Quamobrem vmbilicalia emplaſtra purgant per partes internas, maiores uentriculum videlicet, & inteſtina, ſuccos etiam craſſos, propter viarum talibus ſuccis deferendis conuenientium, & à corporis habitudine, ad ea loca tendentium, commoditatem. Itaq; purgantia, licet ſuo ſubtili calore, ſuaq; rodente offenſione, ſuccos, à proprijs ſedibus agitando, mouendo diſgregando, & trahendo, naturam ad excernendum impellant: viarum tamen, ſiue meatuum commoditas facit, vt per hanc, vel illam corporis partem ſucci illi purgētur. Experimur enim, ratione ſimili, ſuccos, in calidiſsimis febribus, æſtu illarum aduſtos, velutq; incineratos, & acres factos: ideoque naturæ, (ut purgantia propriè Medicamēta) noxios mordentes, & offendētes, partim vomitu, partim alui deiectione, aliquando copioſo ſudore, interdum cum vrinis, non alia ratione à natura expelli, atque purgari: niſi quia purgantium Medicamentorum more, corporis partes internas, ſua acrimonia pungunt, & rodunt: qua ſtimulante, poſt eorum fuſionem, coctionē, &, à bonis ſuccis, ſecretionem, natura illos expellere cogitur, idq; per viam ſibi, ſuccoq; expellendo magis accommodam. Sicut enim putridæ febris mordax calor, manum Medici, febri affectum tangētis, propter mordacitatem fuliginoſi effluuij, per cutem iactati, & exhalantis, pungit, & mordet, perinde

atq;

atque Medicamentum acre (ut dicere ſolitus erat Themiſon, authore Gal. lib. 1. de Differentijs febrium capi. 1x.) rarò magis calore febrili, in putridis febribus aduſtus ille ſuccus, & mordax, per vniuerſum febricitantis corpus diſperſus, à quo mordax illa fuligo elicitur, corporis partes internas, nudas, & magis ſenſiles, mordere debet, & offendere, naturamq; ad excernendum, modò per hanc, modò per illam partē excitare. Ideoq; ſimiliter, purgantia omnia Medicamēta, quæ ſunt valde calida, & acria, fœdoque ſuo nidore à natura vinci nequeunt, in ventriculo exiſtentia, ab omnibus corporis partibus, ad quas ſubtili ſuo calore facilè penetrant, & quas ſua acrimonia mordent, & ad excernendum prouocāt, propter offenſam deuitandam (ſiue ea proprietate, quæ à tota ſubſtantia operari dicitur) ſuccos ſibi cōuenientes ad ventriculum, & inteſtina, propter viarum commoditatem trahere, & purgare poſſunt.

CVR Medicamenta per excellentiam purgantia, citra eam, quæ à tota ſubſtantia operari dicitur, proprietatem, aliquando magis, aliquando minus, aut nihil omnino purgent.

CAP. XI.

DVO ſunt, quæ Galenus lib. 1. Alimentorum, ad eorum naturam intelligēdam, perquirere docet. Primùm, eorumdem præparationem. Deinde naturarū corporum

„ quæ nutriri debent variarũ cognitionẽ, Mellicratum
„ inquit,perfectè coctũ, & acrimonia omni abiecta de-
„ puratũ, corpus optimè nutrit, nõ purgat. Parum au-
„ tem,aut nihil omnino coctum, aut depuratum , ven-
„ trem ſubducit ; non nutrit. Mel quoque ipſum probè
„ deſpumatum naturas frigidas,ſiue per ętatem,ſiue per
„ naturam ita habuerint,planè nutrit: calidas autẽ pur-
„ gat,ipſo in bilem flauam,priùs quàm debitè coquatur,
„ conuerſo.Hæc Galenus.Ac nos quidem duas illas Ga-
leno,pro nutrimentorum facultate noſcenda traditas
conſiderationes, ad Medicamentorum per excellen-
tiam purgantium naturã planè interpretandam, per-
ſcrutandas eſſe ducimus. In quo primùm purgan-
tis Medicamenti varia ratio (priuſquàm ad corpus
purgandum deueniamus) explicanda eſt:quæ in duas
partes diuellitur.Prior,Medicamenti præparationem:
poſterior,germanam eius naturam continet. Etenim
Aloë,ſiue Rhabarbarum,aliaq́; qualitatum ſimilium
(licet per excellẽtiam,vt antè docuimus,non ſint pur
gantia)aluum ſubducere poſſunt: eadem verò exactè
lota,eam ſiſtunt,tantùm abeſt,vt impellant. Quare
purgantium Medicamentorum præparatio vires eo-
rum immutat, ſæpiusque ex toto aufert. Verum-
enimuerò preter pręparationem,germana eorum vis,
atque natura multò magis diſpiciẽda eſt,quę in dupli-
ci diſcrimine inſpectatur.Quędã enim vehemẽtiſsimę
ſunt acrimoniæ,ſtomacho infeſtæ,paucæque,vel om-
nino nullius dulcedinis, ventriculo gratæ.Nam colo-
cynthis,veratrum,ſcammonea , etſi nõnihil qualita-
tis dulcis,ſiue cibalis in ſe contineant (vt Hippocratis
authorita-

authoritate Galenus docet libr. 1. Aliment.) quia tamen ea minima eſt, reſpectu acris, ſiue purgatoriæ eorum facultatis, quę vehemens eſt: idcirco, cæteris Medicamentis citiùs & vehementiùs purgant: ob eamq; cauſam Medicamenti, purgantis nomen, non nutrimenti, ſibi vſurpant: quamuis (Hippocratis, Galeniq; opinione) aliquo nutrimento non careāt. Alia ſunt, quæ, cum facultate acri, & purgatoria, non paucam in ſe dulcem qualitatem complectūtur, ſiue cibalem, adeoque interdum aliquam aſtrictionem: quæ quia ventriculo ſunt gratæ, purgantium, quibus inſunt, purgatoriæ facultati officiunt: eam minuendo, ſiue tardando, pro ſua vel maiore, vel minore dictarū facultatum portione. Huiuſmodi eſt agaricum, Galeno propriè purgans Medicamentum, quod quia, præter acrimoniam, qua purgat, primo etiam guſtu (vt docet Galenus) dulce eſt, & ob id ſecundum Galenum cuiuſpiam nutritoriæ facultatis particeps, cum leuicula aſtrictione, ventrem roborante. Quæ qualitates, quoniam ventriculo placent, Agarici purgatoriam facultatem, aut minuunt, aut aliquando funditus tollunt. Quapropter, illud, mitiùs, ac tardiùs, purgantibus alijs quibuſdam Medicamentis, qualitatum earum vētriculo gratarum auſpicio, corpus humanum purgat, & à partibus minùs remotis: quaſdam etiam interdum hominum naturas non purgat. Quam ob cauſam Medici Galeno poſteriores, ex ſuperioribus cauſis, paruam, ac tardam Agarici operationem videntes, cōmenti ſunt, ei Zinziberis aliquid addere, quò dulcis agarici qualitas, & aſtringens, quas eius vim purgatoriam &

acrem reprimere docuimus,inſigni, & naturæ nõ in-
grata ipſius acrimonia,debilitentur:contraq́; acris &
purgatoria agarici facultas, Zinziberis acrimonia for-
tificetur:qua aucta, agaricum non ſolùm aquoſa, & à
partibus ventriculo vicinis:ſed etiam viſcoſa, & à re-
motis trahet, & expurgabit. Turbith vetuſtiſsimi
Medicis illis ignotum,quia tẽperatum eſt in craſsitie
& ſubtilitate,atq; inſuper ſaporis nõ admodùm acris
vt,præter experientiam,Haly docet libr.I I.Practicæ
cap.L I I.vehementis acrimoniæ defectu, debiliter, &
tardè ſoluit,ſuccos ſolùm aquoſos, & ſubtiles, à vici-
nis partibus educendo. Quocirca Zinziber etiam ad-
ditum Turbith voluerunt, vt illius multa acrimoni
huius facultas acris,& purgatoria,alioqui debilis (ex-
tra eam proprietatem,quæ à tota ſubſtantia operari d-
citur)ſic augeatur,& fortificetur,vt non ſolùm aquo-
ſos, & ſubtiles ſuccos:ut priùs,ſed etiam craſſa, atqu
viſcoſa,à partibus etiã remotis,Turbith trahat,& ex-
purget: quemadmodum, præter rationem, oculari
probat experientia. Itaque fruſtra Medici iſti pro-
prietarij dicunt Zinziber, à tota ſubſtantia, Agarico
& Turbith conuenire. Quod idem de ſexcentis ali
intelligi poteſt Medicamentis:ſi eorum qualitates pri-
mas,atque ſecundas,earumq́ue facultates(ignaua illa
atque inani proprietate abiecta) commodè intuea-
mur, & ad rationis calculum,non ad doctorum quo-
rũdam deliria reuocemus. Sed de his hactenùs. Nun
verò quia Medicamentum, vt & nutrimentum, au-
thore Galeno,ad aliquid dicuntur,ſuntq́ue ex eorum
genere,quæ cum aliquo comparantur,ad ſecundæ ra-
tionis

tionis, quæ corporis, quod purgari debet, & ad quod purgans Medicamentum referri ſolet, naturam continet, tractationem progrediamur: vt illud non ignoretur, quî Medicamentum vehementer alioqui purgans, in quibuſdam naturis purgatrice ſua facultate priuatum, nutrimentum corporis efficiatur, idq; non à cauſis (ut multi putant) occultis & abditis: ſed euidentibus, & manifeſtis. Quamobrem diuerſæ corporum, quæ purgantur, naturæ, purgantium Medicamentorum effectus, non parum mutant. Quæ duobus maximè modis (quantùm ad noſtrum pertinet inſtitutum) conſiderantur. Quædam enim eſt hominum temperatura naturalis, quędam innaturalis. Naturalis, vt ſicca in homine, vt plurimùm, minus obedit purgãtibus Medicamentis, quàm humida: vt multis in locis docet Galenus. Qua ratione motus Hippocrates IIII. Aphoriſmo. iubet, corpora eorũ, qui nõ facilè ab elleboro purgãtur, pluri cibo, atq; quiete humectari: non ſolùm vt corpus purgatũ minùs cõuellatur, verũ etiam vt elleborí facilior purgatio procedat. Sic hominũ calida tẽperatura naturalis, pro purgantiũ Medicamentorũ examine, cũ frigida eſt cõferenda. Innaturalis autẽ duplex eſt, germana, & aſcititia. Prior, ab vtero matris effluxit, atq; originem traxit, eaque non pauci homines, ab ineunte ætate, à cibis abhorrent, cæteris hominibus gratis & conſuetis, vt à vino, caſeo, butyro, & cæteris: contrà autẽ à teneris quidã cibos appetũt, edunt, conficiũt, inſuetos cęteris ac inuſitatos, & odioſos, vt carnes crudas, alimenta Medicamentoſa, interdumq; purgantia pharmaca. Atque eæ naturæ, vt cæteris ſunt

aduerſæ,ſic inſolentibus cibis veſcuntur: vt ſumptis etiam ſæpe Medicamentis purgantibus,ijs nutriantur, & reficiantur:tantùm abeſt,ut purgentur,aut quoquo modo offendantur. Contrà autem non naturales quędam hominum conſtitutiones exiſtunt, quæ ab illorum minimo non ſolùm purgantur, ſed magnoperè etiam offenduntur. Atque hæ non niſi longo vſu internoſcuntur (vt ait Galenus ad Glauconem, & libr. II. de Rat. vict. Acut.) de quibus meminit Theophraſtus lib. VI. de cauſ. Plant. capit. IIII. dicens, prout naturarum conditiones ſe habent: ita ſingulis varia conueniunt alimenta. Et paulò pòſt, ſicut inter voluptates, & anxietates, quod reliquis hominibus, ex certa cauſa eſt triſte, & diſpendioſum, ex alia quapiam ratione poteſt eſſe, certis hominum naturis, gratum, & vtile. Peſtilens enim ciuitas, ſiue bellum, cuipiam poteſt, ex certa occaſione eſſe iucundum, & vtile. Peſtifera enim ciuitas, etſi bonis ciuibus omnibus ſit odioſa, nebulonibus tamen non paucis grata & vtilis, vt tutiùs, liberiuſq; furentur. Idem vult Theophraſtus intelligi, de alimentis quibuſdam, & purgantibus Medicamentis, quæ cùm communi hominum naturæ ſint aduerſa: quibuſdam voluptatem, vtilitatemque dum nutriunt, afferunt. Et quamuis quorundam hominum naturæ dicantur non naturales, quia à communi hominum natura abhorrent, à nonnullis tamen naturales vocãtur, quia cum ipſis hominibus naſcuntur. Quas vt Petrus Aponus perquirat, magnæ vir eruditionis ad Mathematicas Aſtrologorum ineptias, vanitateſque confugit: quemadmodum pleriq; Medici ad

occultas ſubſtantiarum ſimilitudines, ſiue proprieta-
tes, vtrique tenebras, non lucem diſciplinis offunden-
tes. Nos autem vt huiuſmodi proprietatũ caliginem,
quãtum fieri poterit, effugiamus, luci Phyſicę innixi,
dicimus, non naturales illas naturas, ab vtero matris
aliquãdo proficiſci, quanquâm interdum ab aſcititio
aliquo euentu, extra vterum acquirantur. Ab vtero
quidem matris, cùm prægnantes fœminæ, citiùs ſoli-
tò, & vehementiùs pica laborantes, malos cibos, reli-
quiſque odioſos edunt, atque conficiunt, dum fœtus
adhuc in vtero conformatur. Atque ab ijs corruptis,
& prægnantibus inſuetis, cõceptus, in ſua prima ori-
gine, ſiuę conformatione, natiuam quandam noxam
ab vtero contrahit, qua toto vitę tempore: aut certè
magna ex parte, afficitur. Porrò huius picæ, quam Grę
ci κίτταν appellant, cauſam affert Galenus libr. IIII. de
Symptomatũ cauſis, cùm ait, tunicas ventriculorum
prægnantium corrupto excremento affici, à quo pra-
ua & extranea qualitas ventriculo paratur, quæ ea-
rum naturalem appetitum corrumpit. Cæterùm hac
ratione, ac multò meliore concluderetur fœtum, dum
adhuc recens in matris vtero cõformatur, & deprauа-
to, & multo matris malachia laborantis alimento, faci
lè prauam, atque corruptam qualitatem contrahere,
atque ab alijs hominibus alienam: cuius gratia odioſa
nutrimenta appetit, & coquit. Quod tum præcipuè
accidit, cùm prægnans, propter deprauatam prorſus
qualitatem, atque inſolitam excrementi corrupti, in
vtero eius contenti quantitatem ſolitò citiùs, ac vehe-
mentiùs, (dum fœtus recens conformatur) pica cæte-

ris infeſtatur. Quare corrupto, deprauato, cæteriſque prægnantibus inſolito, & odioſo nutrimento alitur. Quod indiuiduam fœtus naturam, à prima conceptus origine, fortiùs tranſmutat, ſicque deprauat, vt homo inde natus, quandiu in vita manet, noxa afficiatur, quę altas ab ipſa iam prima origine radices egerit. Noſtrę autem huic aſſertioni ſubſcribit Galenus li. XIIII. De vſu partium, dicens vniuerſaliter, dicendo, quælibet animalis particula, poſtquàm modicum, in prima
» ipſius cõformatione, aliquod delictum fuerit, morbo-
» ſior fit, & imbecillior in tota vita. Huius autem delicti
» cauſa eſt, vel prima intempeſtiuè facta coitio maris
» cum fœmina: vel, poſt conceptum, prægnantis diæta.
Hæc Galenus. Itaque hoc naturæ delictum, qualitatem afferre poteſt fœtui, ab hominum communi natura prorſus extraneam, atque aduerſam, per quam conceptus, vel homo inde natus, nutrimenta corrupta, vel aliquando Medicamenta ipſa purgantia, licet communi hominum naturæ ſint pernicioſa appetere, eſitare, concoquere poteſt: cuius rei experientiam vidi in canonico quodam apud Delphinates, qui me vidente ℥ ij. vel circa catapociorum, quę Arabes Corſea vocant, deuorauit à quibus neque purgatus eſt, neq; aliquo modo commotus. Neque verò difficile fuerit rationem reddere, cur prægnantis, dum pica laborat, corruptus appetitus, breui tempore deperdatur: idem verò in fœtu, ab vtero, & in prima conformatione fœtus contractus, ſemper: vel certè diu cum indiuiduo permaneat. Excrementa enim in prægnante, & malachia laborante, à cibo ipſius corrupto contracta,

eius ventriculum, aut tunicas internas inficiunt. Quambobrem tandiu durat appetitus ille corruptus, donec à prægnantis natura, alioqui ſana: vel potiùs à creſcente fœtu, excrementa vincantur, & abſumantur. Quod exiguo temporis interuallo, vt dierum XL. aut duorum ſaltem menſium, ſolet contingere. Secus accidit conceptui in vtero matris adhuc tenello, & vixdum conformato, qui vnà cum primigenia ſua origine, per matris victum corruptiſsimum labefactata, corruptam naturam contrahit. Conceptum hoc loco voco, ex Ariſtotele in libr. de generatio. animal. primam ex maris, & fœminæ ſeminibus mixtionem. Quia ergo fœtus à fœmina, corpus à mare, formam motuſque principia accipit, authore Ariſtotel. libr. II. operis modò citati, nemo debet mirari, ſi prægnantis, citiùs & vehementiùs ſolito pica laborantis, tam valde corruptus cibus, fœtus adhuc tenelli & vix in matris vtero conformati ſubſtantiam, quam Ariſtotele teſte, mater in vtero adminiſtrat, corrumpat, & deprauet: abs qua corrupta, deprauatus fœtui accidit appetitus, qui hominem inde natum longo tempore infeſtabit. Hinc etiam inſtituto noſtro Ariſtoteles conſentire videtur, libr. II. de Generatio. Animal. capit. IIII. cum ait, euenire in omnibus naturæ operibus, ut quod vltimum ſit, id primum deficiat: & contrà: quaſi, inquit, natura decurſionem reducem agat. Quæ ratio eſt, cur plerique homines, qui primam ſuam originem victu corrupto deprauatam habuerunt, cibos corruptos, atque reliquis odioſos maxima vitæ ſuæ parte

concupiſcant. Ex ijſdem enim(vt Ariſtoteli placet) ſumus,& nutrimur. Atque hæc quidem de non naturali appetitu,licet natiuo:pro corporum,quæ purgari debent, non naturali natura, licet germana, cognoſcenda,dicta ſufficiant. Deinceps, de aſcititia,quæque externè homini,non à primo ortu aduenit,non naturali natura, quæ ſæpe Medicamentorum effectus variat:vt antè pollicebamur,eſt differendum. Huius meminit Theophraſtus Hiſt. Plant.lib.IX.ca.XVIII.ubi de Thraſia paſtore,herbarum peritiſsimo verba facit, quemadmodum alio loco retulimus. Simile Galenus refert lib.III. ſimpl.Med.capit. XVII.de anu quadam Athenienſi, quæ cicutam, herbam alioqui venenoſam,paulatim edendo,eam tandem ſibi familiarem effecit, eaque nutriebatur, ſolius conſuetudinis cauſa: quæ omnium Medicinarum,vt experientia docet, vires exoluit. Sed libet cauſam perueſtigare, cur longo tempore contracta conſuetudo, talem, ac tantum effectum poſsit producere, vt Medicamenta purgantia,quæ naturam infeſtare ſolent, & purgare,eam nutriant(reiecta illa omni proprietate,quæ operari à tota ſubſtantia perhibetur) & reficiant:non purgent,neque vllo modo offendant. Quod quò faciliùs aſſequamur, expēdendum eſt,quod ſcribit Galenus lib.VI. de ſimpl. Cauſ.nempe magnam eſſe alimentorum vim, non ſolùm in Plantis,ſed etiam in animalibus omnibus, in quibus alimētum,nutritum corpus vehementer tranſmutat:exemplum afferēs de Perſea arbore in Aegyptum tranſplantata,deque omni planta, ex alio loco,ad alium,alterius cœli,& ſoli,translata. Cuius

haud

haud abſimile, de hominum in diuerſis locis degẽtium naturis, & moribus ratio docet, ipſaque experientia. Quapropter ibidem Galenus concludit, nutrimẽtum, ſæpiùs non ſolùm victi: ſed & vincentis rationem, & nomen habere. Quandoquidem, vt quod nutritur, alimentum, quo nutritur, vincit, tranſmutat, & tandem ſibi aſsimilat: ſic nequit alitum viciſsim à ſuo nutrimento non repati: maximè ſi nutrimentum extraneæ cuiuſpiam, & hominibus inſolitæ qualitatis eſt particeps: à quo nutrimento, corpus nutritum potiſsimè repatitur, & paulatim à ſua natura propria, ad nutrimenti, potiſsimè naturę inſoliti naturam, non poteſt non aliquo modo delabi, & tranſmutari. Etenim agens naturale, cæteris paribus (vt Phyſica ratione conſtat) in agendo, à paſſo repati ſolet. Hinc euidens ratio, quæ ſub ſenſum etiam cadit, colligi poteſt, cur alitum corpus non ſolùm vincentis, ſed etiam victi, ſæpiùs rationem habeat: ſicut & nutrimentum è contrà, vt paulò anteà dicebamus. Eaſdem enim plantas experimur, quibuſdam in locis magis, in alijs minus præſtantes produci, vt præter Theophraſti authoritatem, ocularis experientia docet. Veratrum (inquit Theophraſtus, lib. VI. De cauſis Plant. cap. XX.) alioqui viribus præſtantiſsimum certis tamen locis creſcit inualidum. Quod enim in Oeta monte creſcit Parnaſico longè præſtantius eſt. Hæc ille. Eius autem nulla ratio afferri poteſt, niſi, quòd veratrum facultate ſua vegetatiua, qua creſcit & nutritur: etſi terræ eius, in qua prouenit, ſuccum trahat, alteret, & ſibi, hoc eſt vehementi naturæ ſuæ aſsimilet: certo tamen in loco acci-

dit propter cœli, ſoliúe diuerſam naturam,ut ab ali-
mento loci in quo nutritur,propter dicto veratro ex-
traneam temperaturá,ſic repatiatur,vt ipſius alimén-
tum non ſolùm ab eo patiatur: ſed etiam è conuerſo
multò magis. Atq; ita veratrum,nó ſolùm vincentis,
verùmetiam victi,à nutrimento aliquatenus ſuper &
nomen & rationem obtineat:& hac ratione multis in
locis manet inualidum. Quæ cùm ita ſint, Medicamen
tum ſimiliter certa proportione,per excellétiam pur-
gans,quod ſuapte natura ad corpus relatum,alterátis,
atq; vincentis nomen habet(vt ſcribit Gal. lib.1.ſimp.
Med.)interdum tamen certis ex cauſis, nunc natiuis,
nunc aſcititijs,& in certo ventriculo Medicamentum
purgans,victi non vincentis rationem habere poteſt.
Veratrű enim, etſi natura ſua corpus vincat, infeſtet,
& purget, accidit tamé nonnunquá,vt à cuiuſpiá ven
triculi natura, propter eius germanum affectum,vel
aſcititium,ſic repatiatur,vt eius facultate acri, & pur-
gatoria,non parű:aut prorſus victa,quicquid in eo eſt,
non ſolùm dulce,aut cibale (habet enim veratrum ci-
bale aliquid:vt ſuprà ex Galeno & ratione demonſtra-
uimus)ſed & acre,& mordicás,à ventriculo, propter
eius naturam extraneá,vel ab vtero,vel à conſuetudi-
ne contractam, vincatur, coquatur, eiq; aſsimiletur:
prętęr aliorum ventriculorű conſuetudinem. Neque
verò id repugnare putandum eſt,potentijs vegetabili-
bus,ſiue naturalibus,quando ſimile in potétia anima-
li,ſiue ſenſitiua dictis potentijs multò præſtantiore,&
nobiliore,experiri licet:vt in Leone, ſua natura ho-
mini horrédo,& exitiali,qué feritatem natiuam depo

V nere

nere, propter longam, atque frequentem cum homine conſuetudinem animaduertimus: adeò vt cicuratum ipſum homo ad ſe vocet, eoque ad ſuos uſus eo vtatur. Ex quo illud eſt Poëtæ, Longa dies homini docuit parêre Leones. Quid autem obſtat, quò minus idem in potentia naturali, & vegetatiua cõtingat? Veratrum enim, aut aliud quoduis purgans Medicamentum, quamuis ſua natura, communi hominum naturæ perniciosum ſit, & deleterium: tamen propter frequentem, atque diuturnum vſum certo hominum indiuiduo fit gratum & familiare: adeò vt ab eo, appetatur, vincatur, coquatur, aſsimiletur. Ex quibus conſtat, germanam naturam longæ conſuetudinis auſpicio, in extraneam, ſibique planè contrariam transmutari poſſe. Cuius rei rationem aliam Galenus reddit in II. Aphoriſm. Comm. v. cùm ait, Quantò ſimilius factum eſt id, quod tranſmutatur, ei in quod tranſmutatur, eò citiùs alterat ipſum. Quia igitur ventriculi natiua natura, longo & frequenti veratri vſu, ad aliam veratro nutrienti quodammodo ſimilem, familiaremque naturam tranſmutatur (vt antè docuimus, & vt fuſiùs Galen. explicat lib. v I. de ſimp. Cauſ. Ariſtote. authore) propterea ventriculus frequenti vſu veratri uel aliàs, ei fit familiaris, & quadam ratione ſimilis: ideoque ex Galeni doctrina, veratrum ipſum tranſmutat, facilè vincit, tandemque ſibi aſsimilat: preter id quod nigra bilis, quã ſua vi purgatoria veratrũ ſolet vacuare ab eo gignitur, & quodãmodò producatur. Etſi Gal. (vt aſſolet) naturæ opera obſcurando, contrariũ aſſerat, dicẽs, purgãs Medicamẽtum,

ſua vi purgatrice ſpoliatum, in vētriculo talem humō rem producere, qualem natum erat purgare. Quod ſi verum foret, Thraſias paſtor, cuius antè meminimus, ingentē copiam bilis nigræ (quam purgare veratrum natum eſt) intra corpus ſuum coaceruaſſet, quanto tam multo tempore veratro tam copioſè aſſumpto nutriebatur. Quod quia neque ratione vlla, neque experientia perſuaderi poteſt, quantum veritatis contineat, candidi lectoris iudicio relinquo. Atque hæ ſunt rationes, quibus intelligi poteſt, cur purgantia qualiacumque Medicamenta (abſque ea quæ Galeno à totius ſubſtātiæ ſimilitudine operari dicitur ſiue proprietate) corpus, quandoque magis, quandoque minùs, aut nihil omnino purgent. Quanquàm & aliæ reddi poſſunt: quas cuique candido, ſtudioſoque lectori perſpicuæ veritatis non tenebrarum cupido, examinandas relinquimus.

Quodlibet Medicamentum propriè purgans ſuccum ſuæ facultati purgatoriæ conuenientem, & non alienum, (niſi in ſuperpurgationibus) à qualitatibus primis, & ſecundis, non autem à ſubſtantiarum ſimilitudine (vt multi malè putant) à toto corpore trahit & purgat.

CAP. XII.

HIS de facultatis purgatricis cauſa, & ratione pręmiſsis: reliquum eſt deinceps, vt doceamus, quî ſingula per excellentiam purgantia Medicamenta, humores ſibi proprios

prios, magis quàm alios trahãt à toto corpore, ac purgent: nulla ſubſtantiarum ſimilitudine interueniente. Et quare vnum Medicamentum, certum ſuccũ ſuapte natura, & non alium trahat, & purget. Quod vt breuiùs atque apertiùs fiat: illud intelligẽdum eſt, purgantia omnia Medicamenta, quacunque ratione aluum ſubducant, ſiue leniendo, ſiue comprimẽdo, ſiue detergendo, ſiue à toto corpore trahendo, ſemper bilem flauam purgare vnà cum excrementis. Cuius facilis cauſa eſt, intelligẽtibus ſuperiora inteſtina, potiſsimè gracilia, non paruam copiam flauæ bilis ſemper continere, idque non ſine magno naturæ uſu (vt docet Galen. libr. v. de vſu partium) quæ bilis in inteſtinis contenta excrementis alui in corpore miſceri ſolet, ijſque ſubruffum ferè authore Hippocrate calorem inducere. Ex quo conſtat, ea excremento non poſſe quoquomodo à purgantibus Medicamentis ſubduci ſine bilis aliqua portione. Quod idem vacui ſucceſsione probatur. Vacuatis enim ventriculo, & inteſtinis, ſiue inedia, ſiue Medicamẽti cuiuſuis purgatione, bilem, in locum vacuati ad inteſtina ſecedere Galenus aſſerit, & omnibus eſt conceſſum. Non ſolùm quia ſuccorum omnium bilis eſt leuiſsima, maximeque ſubtilis: vt docet Galenus lib. II. de Elementis: verumetiam quia ad inteſtina ſuapte natura, vt dictũ eſt, ad naturę vſum (vt etiam ſcribitur libr. II. de facult. Natural.) deriuari ſolet, & ob id medicamentorum omnium purgationibus obedientiſsima. Ex quo apparet eam ab omni Medicamento quomodocũque purgante cæteris paribus, vnà cum alui excrementis deijci. Quam ob cauſam Dioſcori-

des,& poſt eum Galenus quoque, Paulus Aëtius, Oribaſius, alijque, tam Græci, quàm Arabes Medici inutiliter, & inartificioſè aſſerunt, à Medicamentis purgantibus penè omnibus, alios etiã ſuccos à bile flaua ſuapte natura purgantibus, ipſam bilem vnà cum alijs ſuccis purganti Medicamento proprijs ſubduci. Quia ſæpe accidit, vt flaua bilis, & ſuccus alius purganti Medicamento proprius ab eodem Medicamento purgentur. Sed hoc contingit rationibus multùm æquiuocis: frequẽter enim vſuuenit, vt dicta bilis, ſiue aquoſa humiditas à ventriculo, aut partibus illis vicinis clementer purgando ſubducantur: quomodo purgantia quatuor primarum ſpecierum prius dictarum purgare ſolent aliquando dicti ſucci per excellentiam à toto corpore veluti cùm bilis à ſcammonea purgatur: qui purgantium modi, & nomine, re, & effectu plurimùm euariant: vt fuſiùs ſtatim apparebit. Quibus ita diſcuſsis, vt ad per excellentiam ſingulorum ſuccorum purgandorum rationes ſpecificas explicandas perueniamus, dicimus cum Hippocrate, & Galeno in lib. de natura humana, ſanguinem per excellentiã dictũ quatuor in ſe ſubſtantias cõtinere, veluti ſuprà alio loco diximus, nõ ſolũ calore & cõſiſtẽtia: ſed etiã calore, frigore, humiditate, ſiccitate, varias & ſibi cõtrarias, ſanguinẽ videlicet, pituitã, & bilem vtramq;. Quas ſubſtantias hominibus cognatas vocat Hippocrates, quia quocunq; tẽpore, quacũq; ætate, quãdiu viuit homo, ſanguis eius per excellentiam dictus has quatuor ſubſtãtias omnes ſimul mixtas complectitur. Atque adeò vna ex illis in hominis ſanguine propriè dicto deficiente, homi-

nem

nem ipſum ſimul perire,& interire neceſſe eſt:vt poſt Hippocratem libr. II.Elementorum etiam docet Galenus. Quare vt quatuor illas ſubſtantias,ſiue ſuccos diuerſos,calor natiuus,ſiue moderatus,in venoſo genere ſimul commiſcet, contemperat,& conſeruat: ſic eas calor extraneus & immodicus, tanquàm varias, & eterogeneas in venis ſimul contentas commouet, diſgregat, & à ſe inuicem ſecernit.Medicaměta enim propriè dicta, quæ acria ſunt omnia, vt multis locis docet Galenus, præter quàm quòd ſubtilium ſunt partium, calorem etiam habent immenſum (ſaltem vt talia) quo per totius corporis vaſa in quibus ille ſanguis totus continetur,facilè propter eius ſubtilitatem diſperſo,nullo labore has in ſanguine contentas ſubſtantias eterogeneas, ſimul mixtas, calor liquando, incidendo,detergendo,& extenuando,& quomodolibet aliter agitando, diſgregat, & ſecernit. Hæc enim caloris,ſaltem immodici eſt facultas, Ariſtotele authore libr. IIII.Meteoror.capit. I. Calor præterea immodicus,ſicut & acrimonia, præſertim quando eſt inſignis à toto corpore, ſicut & cucurbitula trahere poteſt, authore Galeno multis in locis,potiſsimè libr. IIII. Method. Therapeut. licet calidum omne ſicut & acre, intra corpus aſſumptum: ſi ſubtilium ſit partium, & naturæ odioſum, multò fortiùs, & à partibus corporis longè remotioribus, quàm extrà admotum ad ſe trahat: propter viarum quæ intra corpus à ventriculo, & inteſtinis ad corporis profundum diſtribuuntur commoditatem: per quas ſicut nutrimentum à ventriculo, aut inteſtinis

in totum corpus diſpergitur,& contrà totius corporis recrementa ad ventriculum,& inteſtina mediante hepate,ſiue naturæ, ſiue Medicamẽtorum virtute repurgari ſolent:ſic purgantia Medicamenta ſubtili ſuo calore per illas vias totum corpus facilè ſubeunt, & ab eo,partim caloris ſubtilis,atq; immodici, partim acrimonię ſuæ virtute,internarumq́ue viarum commoditate,ſuccos qualeſcumque ſibi proprios ad ventriculum,& inteſtina trahunt. Quod ſecus accidit Medicamẽtis,quæ præter id,quòd calida ſunt,& acria, ſubtiliumq́ue partium:odorem quoque vel ſaporẽ quempiam in ſe habent,naturæ familiarem,& gratum. Talia ſiquidẽ Medicamẽta intra corpus etiam aſſumpta, ad eius partes remotas,ſubſtãtiæ eorum qualitate,viarumq́ue iam dictarum auxilio diſperguntur: in quibus,quia ex parte naturę ſunt grata,ſæpiùs retinentur, alterantur,coquuntur:licet dum ſic à natura alterantur,eam non parum qualitatibus ſuis alterent, menſeſq́ue,& vrinas ſæpiùs euocent. Itaque propriè purgantia Medicamenta, qualiacumque intra corpus aſſumpta,viarum opportunitate,ſuccos qualeſcumque, in ſanguine propriè dicto contentos longè vehementiùs quàm priora modò dicta,quia naturæ magis exoſa exagitante,& à corporis profundo,ex cauſis expoſitis,ad ventriculum,& inteſtina trahere ſunt nata: niſi attractioni eorumdem obſtarent ſuccorum trahendorum lentor viſcoſus, ſiue grauitas, aut craſsities: aut demum viarum intermediarum obſtructio: vt multis locis docet Galenus. Vnde quia bilis flaua ſuapte natura ſubtilis eſt, leuis, & mobilis, non craſſa, non lenta,

aut grauis, propterea per eas vias (ſi nulla earum occluſio intercedat) facilimè omnium ſuccorum, ſiue arte, ſiue natura à corpore toto, propter eas cauſas, quas diximus, purgari ſolet, atque excerni: vt docet Galen. lib. XIIII. Method. Therapeut. Pituîta contrà, ſiue melancholia, quia prorſus contrario modo ſe habẽt ad bilem, quando craſſitie multa, aut viſcoſitatę, & grauitate participant: ideo non ita facilè à corpore, neque Medicamentorum purgantiũ, neque naturæ viribus excernuntur, & purgantur: vt loco iam dicto docet Galen. Quòd ſi illi ſucci nulla craſsitie, ſiue grauitate, aut lentore participent, prætereaque nulla impediat meatuum obſtructio, nulla ratio eſſet, cur ij ſucci à quolibet Medicamento per excellentiam purgante, ex cauſis dictis facilè non traherentur, & à toto corpore purgarentur. Verùm, quia id nullo artificio præſtari poteſt, ea ratione quilibet ſuccus proprio ſibi pharmaco à Deo in ſubſidiũ fragilitatis humanæ creato conuenienter trahi debet, & purgari. Niger enim ſuccus, ſiue melãcholia naturalis, etſi potionibus quantumuis extenuantibus, & incidentibus ſubtilis efficiatur, incidatur, agitetur, & ob id purgationi reddatur, quàm priùs, aptior: grauitatem tamen quandam terream atque craſsitiem, qualitates ſuæ naturæ germanas, ſemper ſibi ex parte retinet, quamuis non vt priùs tam craſſas, quarum cauſa ſuccus, quantumcumque expulſioni præparatus, neque facilè, neque exquiſitè, hoc eſt, vno impetu, ſiue à Medicamento etiam ſibi proprio, ſiue à natura purgari poteſt, & à corpore expelli. Eademque pituîtæ, ex ſuperioribus cauſis, eſt ra-

tio, generaliterque & ſuccorum omnium ſętore multo, aut craſsitie inſigni, vnà cum viarum obſtructione participantium. Tales enim ſucci non purgantur, quantumcumque priùs inciſi, extenuati, & deterſi fuerint, niſi à Medicamentis vim validam purgandi habentibus: vt conſtat experimento. Quiſquis enim talium, purgationem à corpore humano facere molitur ſuccorum purgandorum craſsitiem, ſiue lentorem, per qualitates ipſis contrarias, & elementares, quantùm fieri poterit vt corrigat, & emendet neceſſe eſt, quatenus faciliùs & liberiùs procedat purgatio. Hoc enim artificio craſſa, & lenta faciliùs multò trahuntur & purgantur, licet & naturæ, & Medicamentis, ea alterantibus, atque coquentibus tardè obediant. Quapropter Galen. lib. x i. Meth. Therapeut. hoc ipſum artificioſiùs facere docet, dicens, craſſo humori inciſiuum, ſiue ſubtiliatiuum Medicamentum eſſe contrarium: ſicut lento ſiue viſcoſo, deterſiuum & incidens, meatuumque obſtructione laxans, dilatans, & aperiens. Quia igitur nulla ſunt purgantia Medicamenta per excellentiam, talia de quibus nunc agimus, quę non unam, vel plures, ex dictis qualitatibus, quæ humorum retentioni aduerſantur (diuina ita volente prouidentia) contineant, quibus craſſa incidant, viſcoſa detergant & extenuent, occluſa recludant, & præter id ſuapte natura, hoc eſt, ſuarum qualitatum vi, ſuccos à toto corpore ad ſe trahant: (vt paulò antè ex ipſius etiam Galeni doctrina docebamus) & expurgent: propterea fit vt Medicamenta per excellentiam purgantia, qualitatum diuerſarum

in ijs inuentarum auxilio (citra hanc, quæ Galeno à toto ſubſtantia purgare dicitur proprietatem) varios ſuccos à corpore toto, ex cauſis paulò antè dictis, incidant, detergant, commoueant, & conſequẽter trahãt, & purgent. Porrò multiplex caloris ſiue acrimoniæ, aut amaritudinis in purgantibus per excellẽtiam Medicamentis inuenti differentia, facit vt varia Medicamenta purgantia, quæ propriè ſunt acria omnia, varios ſuccos à cauſis varijs, à toto corpore purgent. Quædam enim eorum, ſic calida ſunt & acria, vt non multùm, neque vehementer ſint talia, ſaltem in comparatione purgantium, & præter id, amaritudinis etiam omnis, ſaltem efficacis, ſunt expertia. Quare, neq; vehementer à corpore trahere poſſunt, neque valde naturam ad excernendũ cõmouere. Vnde ſolius flauæ bilis talibus Medicamentis fieri poteſt per excellentiã purgatio: quæ quia lentore, ſua natura, caret, idcirco neq; amaritudine ſaltem inſigni, detergente, & incidente indiget ad ſui purgationem. Eſt enim bilis flaua, vt nuper dicebamus, ſubtilis, leuis, & facilè mobilis. Quapropter à calore non multùm vehemente, acrimoniaq; e non magnoperè infeſta, quæ minimam in venis perturbationem faciant, facilè trahitur, & à corpore toto purgatur. Qua euidenti ratione Scammonea per excellentiam flauam bilem, in ſanguine, vnà cum alijs ſuccis corpore toto contentam purgare dicitur; vt pote quæ inter cætera Medicamẽta propriè purgantia minorẽ habet & calorẽ, & acrimoniã: quia guſtũ, ſi legitima ſit, maſticata nõ magnopere accedit, neq; offendit: vt poſt Dioſcoridẽ Ioannes etiã Meſuẽ

aſſerit: licet fœdo ſuo nidore, præter acrimoniam, valde ſit naturæ ingrata, & ventriculo nullo minùs infeſta pharmaco. Similis naturæ Galeno eſt radix pignocomi, quæ quãuis, vt purgantia alia Medicamenta acris ſit, infirmiùs tamen digerit, & trahit, illius aut ſemine, aut folio. Quamobrem dicit Galenus, eam bilem flauam per inferna purgare. In ſumma autem, quęcumq; inueneris purgantia propriè Medicaméta, ſimilium qualitatum, & facultatum, hoc eſt, quæ cum ſuo nidore naturæ odioſo calorem quoq;, & acrimoniam, cæteris propriè purgantibus paulò mitiores habeat, adeò vt neque vehementer ad ſe trahant, neque ſuccos in venis contentos, magnoperè commoueant: talia omnia, ex ratione iam dicta, bilem flauam, non lubricando, ſiue detergendo, non comprimendo, ſed per excellentiam trahendo, non etiam à ſubſtantiarum ſimilitudine: ſed à qualitatibus notis, & euidentibus, purgant. Atque hæc quidem de Medicamentis bilem flauam per excelléтiam purgantibus, quæ non modò Græci authores, ſed Arabes vniuerſi, qui de Medicamentorum quomodocumq; purgantiũ ratione ſcripſerunt, omnia ſine ullo diſcrimine malè ſimul confundunt: miſcentes eodem contextu, quæ leniendo, comprimendo, detergendo, ſiue à toto trahẽdo, bilem eam expurgant. Nunc de ijs nobis agendum eſt Medicamentis purgantibus, quæ ſolo etiam calore, ſolaq; acrimonia, licet ſuperioribus bilem purgantibus, multò vehementioribus, & fortioribus, trahunt, & expurgant. Hæc enim quia calorem, vt acrimoniam, quàm ſuperiora, multò fortiores habent, alienaq; qualitate, parum

rum,aut nihil impedita,propterea tãto ſuo calore,ſubtilitateq́,inſigni,terrea craſſa in venis vnà cum alijs ſuccis contenta,qualis eſt melancholia naturalis, fortiter extenuant,& incidunt,atque ab alijs ſuccis commouent,ea demũ inciſa,attenuata & cõmota ui caloris exagitant, ſecernunt,trahunt, & expurgant. Calida enim, vehementer talia, potiſsimè quæ ſunt ſubtilium partium,& valde acria,intus aſſumpta: vt paulò antè ex Galeno docebamus,à toto corpore ſuccos validè inciſos,& ab alijs commotos,atque ſecretos vehementiùs multò cęteris Medicamentis minùs calidis & acribus ad ſe trahunt,pręter id,quòd caloris immodici,intus aſſumpti,violentæq́ue acrimoniæ ope, naturam vehementer infeſtando,& mordendo ad excretionem validiorem etiam prouocant. Huiuſmodi ſunt, quæ nigram bilem purgant, quæ amaritudinis lentorem detergentis virtute non magnoperè indigent, vt bilem craſſam, & terream (ſaltem vt talem) expurgent,quæ ſuapte natura lentæ viſcoſitatis eſt expers, ſed validis,calore,& acrimonia(vt diximus)ſubtiliũq́; partiũ,quæ terreũ,craſſum ſuccũ extenuent,incîdant, & fortiter à corporis profundo ad ſe trahant. Talis eſt herba Alipon,quę Dioſcoridi incidẽdo & acri ſuo calore, partiumq́ue ſubtilitate, extenuando, & ad ſe à toto corpore trahendo, craſſa, per inferna, mordicatione,& agitatione naturæ moleſtis coadiuuantibus, purgant. Similiter thymum,epythimũ,lapis cyaneus, veratrũ nigrum:quod quia albo acrius eſt, & calidius, propterea magis incidens eſt,& extenuãs, magisq́; ad ſe trahens. Hæc igitur omnia & alia ſimiles quali-

tates primas, & ſecundas habentia calore ſuo vehementi fortiq; acrimonia, craſſam melancholiam paulatim quatenus illis datur prius incidendo, extenuando, & meatus reſerando à toto corpore ad ſe vehementer trahunt, & purgant. Frequenter tamen vſuuenit vt ſuccorum purgandorum multa ſit craſsities, viarumq; per quas purgatio fieri debet, obſtructio contra max: quibus rationibus eorumdem ſuccorum fit purgatio valde moleſta, & naturę plurimum detrimentoſa ſæuientibus, videlicet purgantis Medicamenti qualitatibus elementarijs, & ad ſe ſuccos purgandos incidendo, extenuando, meatus aperiendo trahentibus, & purgantibus, humorum licet denſa craſsitie, & meatuum forti obſtructione dictę purgationi reſiſtentibus. A quibus omnibus corpus quod purgatur, non poteſt non grauiter infeſtari. Ea igitur ratione Hipp. lib 11. de ratione victus acut. vnà cum Medicamentis vehementer purgantibus daucum, vel aniſum, aut alia id genus odorata, ad naturæ tuitionem propinare iubet: non ſolùm (veluti eodem loco interpretatur Galenus) vt dicta ſemina odorata ſua qualitate naturę grata & amica purgantis noxam reprimant, verumetiam vt forti & acri ſuo calore, ſuaque ſubtilitate qualitatibus elementarijs purgantis Medicamenti auxiliando craſſa exactiùs incidantur, & tenuentur: meatus quoque obſtructi reſerentur validiùs, & pateſiant: & ſic corpus purgandum magis fluidum reddatur: vt purgatio minus noxia procedat. Ex quibus facile eſt concludere purgantis Medicamenti qualitates elementarias primam & potiſsimam eſſe purgationis cauſam.

cauſam. Sed de his ſatis. Sicut igitur bilis flaua calida, quædã eſt vehementer leuis, ſubtilis, & facilè mobilis, (vt paulò antè ex Galeno docebamus) ſic etiam facilè cedit, eam purgantibus Medicamentis. Contra verò omnino accidit bili nigræ, quæ frigida eſt, terrea, craſſa, & grauis: & ob id difficulter incîdi poteſt, extenuari, & commoueri: ideoque neque naturæ eam coquenti, neque Medicamentis purgantibus facilè cedit, niſi ea & vehementer fortia ſint, & multis vicibus iterata. Qua vna ratione Arabica ſchola, & Medicis, & ægris, meo quidem iudicio, grauiſsimè, in his, melancholiam purgantibus Medicamentis imponit. Quod à Philologis, veritatiſque ſtudioſis hominibus ſanè quàm facilè intelligitur. Dicunt autem Arabici Medici ſennam, quæ ſecundum Meſuén, ſolutionis, eſt debilis, ius Galli veteris, lactis ſerum, ſtœchada, polypodium, & alia id genus, nitroſa quadam ſua amaritudine (quæ ſenſu percipi poteſt) aluum detergentia, clementerque ſubducentia Medicamenta, bilem tamen nigram, ſiue melancholiam à toto corpore purgare: cùm tamen re vera, ea rationibus prius dictis, bilem flauam, & ſeroſas, ſiue pituîtoſas humiditates, tanquàm ſubtîles, & leues, à ventriculo, & partibus ei vicinis detergendo clementer ſubducant, non bilem nigram, non pituîtam craſſam, & viſcoſam, quæ Medicamentis non purgantur, niſi admodùm fortibus: vt docet Galenus libro XIIII. Method. Therapeutic. dicens Bilis flauæ purgationem eſſe facilem: craſſæ verò pituîtæ, & potiſsimùm nigræ bilis, valde difficilem.

Cuius expedita eſt ratio. Vtrumque enim, & lenta pituîta, & melancholia, quia craſſa ſunt, & frigida, Medicamentis cedere non poſſunt niſi fortibus, iiſque frequenter iteratis: vt paſsim experiũtur Medici practici omnes: & vt apertè etiã docet Gale. in VI. Aphoriſm. Cõm. XLVII. vbi mulierẽ cãceroſo tumore mamillę, ab humore melãcholico facto quolibet anno infeſtari ſolitã, ineunte vere, forti, & frequẽti Medicamẽto bilem nigram purgãte vacuabat, & ſic à morbo vindicabat: non autẽ Medicamentis clemẽter purgantibus: vt malè docent Arabes Medici: qui in eorũ Medicamentorum, quę antè nominabamus, facultatibus enarrandis: non ſolùm delira, ſed etiam ridicula referunt, quando de eorum facultatibus ambigentes, ſiue potiùs deſperantes, clementer purgantia (quando per ea bilem nigram, vel craſſam purgare volunt) non ſola illa propinant: ſed ea admiſcent purgantia, quæ ſua natura, etiam ſola dictam bilem nigram purgant: qualia ſunt epithymum, lapis cyaneus, aliáque eiuſdem generis. Quid autem poteſt eſſe magis ridiculum, quàm aſſerere ius galli veteris cum Turbith (vt ait Meſuë) vel Cnico piruîtam etiam craſſam purgare? Id enim per ſe hæc duo natura præſtare poſſunt: ſine dicto iure. Ex eodem furfure ſunt, lactis ſerum cum epithymo, aut lapide cyaneo, ſumptum, bilem nigram per inferna purgare. Polypodium cum epithymo melancholicis affectibus mederi. Quæ omnia, aliáque permulta ſimilia Medicis barbaris narrata perridicula ſunt. Iam verò huius erroris, vt & aliorum in omni diſciplina multorum primam, & potiſsimam cauſam eſſe puto, dictio-

nis.

nis æquiuocationem. Sanguinis ſiquidem fæcem (ſi rectè loquamur) melancholiam, ſiue bilem nigram, nondum exquiſitè atram, priuſquàm aduratur, nominamus: etſi noſtro æuo Græcorum interpretes non pauci atræ bilis nomine abutantur, vtrâq; iam dictã bilem, atrã nominãtes. Nam bilis exquiſitè atra, ea dicitur, quæ poſt ſucci aſſationem manet aduſta, ideoque fit acris, ſplendida, corrodens, & (tametſi quid terrenum, craſſumque ſemper retineat) ſubſtantiæ tamen eſt multò, quàm vera melancholia, ſubtilioris: vt paſſim docet Galenus, potiſsimè libr. III. de locis affectis. capit. V. & lib. IX. impli. Medicinæ. Vnde mirum videri non debet, ſi bilis exactè atra (ſiue à flaua bile ſuperaſſata fiat, ſiue ab humore melancholico aduſto) ob eius ſubſtantiam, quàm melancholiæ ſubtiliorem, & aduſtione facta calidam valde, & ob id faciliùs mobilem, Medicamentis clementer purgantibus obediat: qualia ſunt ſenna, ius galli gallinacei veteris, quæ non à toto corpore, ſiue per excellentiam purgare poſſunt: ſed detergendo tantùm, clementer aluum deijcere, & non melancholiam (vt Medici Arabes ferè putant) ſed atros, ſolùm & ſubtiles ſuccos alios per inferna ſubducere, idque à vaſis circa ventriculum, & hepar exiſtentibus. Vnde & morbis à ſuccis illis aduſtis illatis magnoperè auxiliari experti ſumus: nullo autem modo ijs, qui ab humore melancholico procedunt. Sed confugiet fortaſsis Arabs, cui rationes deſunt, ad ſubſtantiarum adeò occultas proprietates, vt omni ratione ſint deſtitutæ: tamquàm ad portum cæcæ caliginis, in cuius tutela ſumma eſt errandi impunitas. Cæterùm

his omiſsis, ad tertiam purgantium Medicamentorum ſpeciem progrediamur. Ea ſunt, quæ calore, & acrimonia fortiſsimis, ac vehementiſsimis ſeroſas aquas à ventribus potiſsimè hydropicorum, & aliquando à corporis habitudine, purgant, (quæ Græci ὑδραγωγὰ vocant.) Sicut enim prima propriè purgantium ſpecies, calore non ita vehementi: ſaltem vt ad talia collato, acrimoniaq; non multùm naturæ infeſta, bilem flauam purgat: ſecunda, iiſdem multò fortioribus, longeq́ue vehementioribus ſuccum melancholicum trahit, & vacuat: ſic hæc tertia, calore, & acrimonia, vehementiſsimis, & prorſus καυϛικοῖς, aquas ſeroſas à corpore toto, non abſq; manifeſta ratione, ad vẽtriculum, & inteſtina trahunt, & purgant. Hæc enim immenſo, & planè cauſtico ſuo calore, præter quàm quod ab omni corporis parte exactiſsimè trahunt, ex cauſis ſæpiùs dictis, corpus etiam exagitant, mordẽt, vehementer commouent, & ad excernẽdum validiſsimè ſuſcitãt. Quorum duplicem inuenio differentiam. Quædam enim, licet acrimoniã, cæteris hydragôgis, fortè minùs feruentem, ac vehementen habeant, quia tamen ipſam in ſubſtantia denſiore habent radicatam, propterea vehementiùs operantur, ſecundum Galeni doctrinam lib. IX. ſimplic. Medic. Huiuſmodi ſunt atramentum, æs vſtũ, ſquãma' æris: quę omnia fortiùs aliis, etiam acerrimis Medicamẽtis, poſtquàm deuorata ſunt, tunicas vẽtris internas, quibus incubant, atq; diutiùs ſua craſsitiæ hærent, validiùs calfaciunt, rodunt, aperiũt, eaq́; ratione ſeroſa à corporis alto euellunt, ac ſua vi ad ſe trahunt. Alia ſunt hydragôga, quæ in ſubſtãtia ſubtiliore calidita-

caliditatem,& acrimoniam quas obtinẽt vehementiſſimas,conſtitutas habent.Cuiuſmodi ſunt euphorbiũ, præſertim recens,Chamæleon , potiſsimè albus , thapſia,iris maximè quæ eſt flore purpureo,aliaque innumera,ſimiles qualitates,& facultates habẽtia,quę magna ex parte,ex alto etiam vehementer trahunt:etiam ſi nulla ſit,aut ſaltem euidens via media,inter trahens Medicamentum,atque ſeroſa attracta:quia præter calorem vehementiſsimum , quem habent,acrimoniam quoque validiſsimam , guſtu vix tolerabilem ſeruant: quibus qualitatibus à corporis profundò,ſua ſubtilitate penetrãdo aquoſa euellunt, & vehementer ad ſe trahunt.Et quamuis aquoſa,ſiue ſeroſa ſuapte natura ſint ſubtiliora pituîta,vel melancholia,& ob id tractu faciliora, quia tamen ſeroſæ aquæ frequenter in corporis habitudine à venoſo genere eiectę,& hydropicis in loco,qui inteſtina, & interiorem abdominis membranam,interiacet potiſsimè continentur:à quibus locis, ad inteſtinorum cauitatem,ad quam trahi debẽt, nulla eſt via patens:nulla ſunt ora , ſaltem euidentia , per quæ illæ aquæ facilè attrahi poſsint, propterea nõ trahuntur niſi à Medicamentis vires purgatrices vehementiſsimas retinentibus. Pituîta contrà per corpus diſperſa , ſiue bilis nigra , quia magna ex parte, in venoſo genere cum ſanguine continentur , per quæ vaſa ad hepar primò , deinde per meſaricos meatus ad ventriculum, & inteſtina faciliùs, eorum vaſorum auxilio , poſſunt trahi : propterea Medicamentis paulò mitioribus (quamuis ſint , quàm ſeroſæ aquæ , ſubſtantiæ craſsioris) ex cauſa iam dicta

obediunt. Atque hæc eſt ratio, cur aquæ ſeroſę, quas potiſsimùm à ventribus hydropicorum purgamus, & aliquando à corporis habitudine Medicamentis purgari nequeant, niſi vehementiſsimam purgatricem facultatem habentibus. Renes enim licet natura & non uiolentè à venoſo genere, ſanguinis ſerum perpetuò ad ſe trahant, idque per meatus naturales & patentes tali attractioni idoneos: ijs tamen non obſtantibus vretica Medicamenta dictum ſerum à venis ad renes & veſicam per dictos meatus non trahunt, niſi valido calore & immoderato (vt docet Galenus lib. v. ſimpli. Medicinæ cap. XII.) Quia igitur ſeroſæ aquæ potiſsimè in ventribus hydropicorum coaceruatę, neq; natura ad cauitatem inteſtinorum trahuntur, neque meatus ſaltem euidentes habent intermedios, per quos dicta ſeroſa humiditas ad cauum inteſtinorum deduci poſsit: propterea intra inteſtina dicta ſeroſa humiditas trahi non poteſt, niſi Medicamentis multò quàm vretica calidioribus longeque acrioribus: quæ ſubtili vehementique ſuo calore dictas aquas ad ſe trahant: & demum plurima ſua acrimonia naturam validè mordendo, & infeſtãdo dictas aquas excernere ad cauitatem inteſtinorum facultate ſua vehemẽti cõpellant. Acria enim potiſsimè quæ vehementiſsimè ſunt talia: vt ſæpiùs ex Galeno docuimus: præſertim intra corpus aſſumpta, ab eo toto, ſi cætera ſint paria, habilia ſunt trahere, etſi nulla apparens via media intercedat, natura eius noxijs ſuccis excernendis viam coacta parat. Ex quo videri nemini mirum debet, ſi talia purgantia ſeroſas aquas, à quacumque parte corporis trahant, & purgent. Idque maximè

maximè, quia prçter id, quod ſeroſç illæ aquæ ſunt ſubſtantiæ ſubtilioris, & magis penetrabilis, corpus etiam totũ (vt multis in locis docet Gale. Hippoc. authoritate) eſt cõfluxibile, & cõſpirabile. Ex quibus cõſtat, quç ſit natura Medicamentorũ, propriè aquas ſeroſas purgantiũ. Cui noſtrç aſſertioni (quæ ex Galeni dictis originem ducit) ſubſcribunt Græcorum vetuſtiſsimorum monumenta: qui purgantibus Medicamentis, qualitates ſimiles, & facultates habentibus, ſeroſæ humiditatis, per aluum purgandæ, cæteris paribus, facultatem attribuũt: vt ex eorum doctrina paulò antè dicebamus. Suffragatur etiam experientia, quç à Medicis ægros curantibus paſsim percipi poteſt. Sed de his ſatis. Nunc igitur quia de ijs priùs egimus purgantibus Medicamentis, quæ ſola vnà cum immenſo calore, purgant acrimonia, licet multiplici, & varia, nunc ad ea accedimus, quæ præter validam, quam habent, acrimoniam, inſignem amaritudinem iunctam ſortita ſunt, aliena qualitate parum, aut nihil impeditam. Huiuſmodi pituîtam purgant, non ſine euidenti ratione, à qualitate manifeſta: non à ſubſtantiarum ſimilitudine. Nam ſicut pituîta, vt plurimùm, craſſa eſt, & viſcoſa, ſiue lenta, à qualitatibus primis, & ſecundis illi contrarijs, eam videlicet incidentibus, ſubtiliantibus, & detergentibus ad purgationem præparari debet: vt enim pituîtç lentor, ſiue viſcoſitas ab amaris, cum acribus admixtis, vehementer incidetur, & detergetur: ſicque etiam expulſioni meatus priùs occluſi aperientur: ea enim eſt amari cum acrimonia iuncti ſaporis facultas (vt priùs demonſtrauimus.) Qua ratio-

ne, eaque euidenti huiuſmodi purgantia, ſuo forti calore, ſimilique acrimonia iuncta amaritudini inſigni pituîtæ lentorem & craſsitiem incidentibus & detergentibus & meatus aperientibus ſuo forti calore agitando, & mouendo, & adtrahendo, pituîtam educere nata ſunt, nulla habita ratione operantis à tota ſubſtantia, vt aiunt, proprietatis. Quamuis enim amaritudo omnis ſubtile aliquid, vt antè docuimus, contineat, propter aduſtionem: quia tamen terrea eſt ſuapte natura: licet calore immodico elaborata, craſsior eſt (ut antè docuimus) quàm vt altè intra corporis meatus penetrare poſsit, niſi aliena qualitate ſubtiliore adiuta. Centaurium minus quia acrimonia, ſaltem euidenti caret, quia etiam multæ adſtrictionis ſuapte natura craſſæ eſt particeps, ad profundum corporis penetrare non poteſt: etſi Galeno dicatur craſſa purgare. Hoc enim facit à ventriculo, in quo pituîtæ bona pars contineri ſolet, aut locis ei vicinis: qui quia meatus habent (vt antè diximus) ſatis capaces: proptereà craſſam pituîtam ſæpiùs etiam continent, quæ à Centaurij minoris amaritudine multa, inciſa, atque deterſa facilè ſubduci poteſt, ob eamque cauſam pituîtam à locis profundis diuertendo, dum à ventriculo purgat, centaurium coxendici poteſt auxiliari: ſed à locis remotis acrimoniæ defectu non purgabit omnino, tantùm abeſt, vt pituîtam ab alto corporis, per excellentiam trahere poſsit. Sicut enim amaritudo inſignis, quia ſubtiliorum eſt partium, quàm aſtrictio, viam facit aſtrictioni: adeò vt aſtringẽs qualitas, amaritudinis auxilio, ad eas ſaltem partes, quæ iuxta ventriculum ſatis magnos habent

mea-

meatus penetrare poſsit, eoſque roborare: vt docet Galenus lib. x i. Method. Therapeut. de Abſynthio: ſic acrimonia, quæ multò ſubtiliorum eſt partium, quàm amaritudo: vt paſsim docet Galen. viam facit amaritudini, in Medicamentis propriè purgantibus: adeò vt ad omnes corporis partes amara ſubſtantia, ſi non ſit aliena qualitate præpedita. (etſi non ſua natura) acrimoniæ tamen auxilio traducatur, in quibus vnà cum inſigni acrimonia, craſſa incîdit, commouet: viſcoſa deter git, & farctu liberat. Itaque purgãtia propriè Medicamenta multùm calida, & acria, impenſeque amara, multa ſua acrimonia, & amaritudine meatus aperiendo, pituîtam, à toto corpore, inciſam, extenuatam, deterſam, atque commotam, ad ſe trahunt, & ex cauſis ſæpiùs dictis, expurgant. Et ea eſt ratio, atque qualitas Medicamentorum pituîtam à toto corpore trahentiũ, & per excellentiam purgantium: propter quas qualitates, authore Galeno lib. v i i. ſimp. Medic. cortex radicis capparis, quia amaram, & acrem qualitates conti net, eaſque, inſignes, cum aliqua aſtrictione, propterea abſtergere, incîdere, & craſſos, lêtosq; humores purga re non ſine ratione poteſt: nõ ſolũ per vrinas: ſed & per ventrem. Preterea Dracontium Galeno lib. v i. ſimpl. Medic. multam habet acrimoniam, & amaritudinem non paucam, cum aliqua etiam aſtrictione. Propter quas qualitates, radix eius craſſos, lêtosque ſuccos extenuans, & extergẽs, & farctu liberans, viſcera omnia, & totum corpus ab ipſis ſuccis purgat. Scilla Dioſcoridi & Meſ. quia vincentem habet acrimoniam, cum multa amaritudine, propterea viſcoſi, per aluum

purgat. Thytimalli ſpecies omnes vincentem habent acrimoniam, & amaritudinem multam: quibus qualitatibus, non poſſunt craſſa, & viſcoſa, qualis eſt pituîta à toto corpore incidendo, & detergendo nō purgare. Huc pertinet agreſtis cucumis, ſiue elatherium, cnicus, & colocynthis, & alia innumera, ſimiles qualitates primas, & ſecundas habentia, quæ idoneis authoribus, pituîtam craſſam & viſcoſam purgant, licet eorum omnium Galenus facultates purgatorias ad hanc ſuam ſimilitudinem, ſiue cæcam proprietatem, ſuæ poſitioni ſemper inhærendo, malè retulerit. Et ſi diebus aliquot craſſa & viſcoſa certis potionibus inciden tibus, detergentibus, ſimiliter & obſtructiones aperientibus, & ſic qualitatibus purgantis Medicamenti elementarijs auxiliantibus, expulſioni præparentur, craſsitiem & viſcoſitate qualitatibus purgationem impedientibus emendatis, faciliùs multò ex cauſis ſæpiùs dictis, & clementiùs purgabūtur craſſa & viſcoſa: quia videlicet ſint extenuata, & deterſa, ſi recluſi fuerint meatus: ſicut enim facilè cedunt vehementi purgantium calori ſuccos ſibi proprios commouenti agitante, & vehementer ad ſe trahenti: ita quoque natura à dictorum purgantium Medicamentorum forti acrimonia laceſsita ſuccos iam dictos tanquàm expul ſioni magis idoneos & purgantis calore commotos, fa ciliùs à ſe unà cum dictis purgantibus naturam infeſtantibus pellet & purgabit, viarum potiſsimè recluſarum auxilio, & per ventriculum & inteſtina minus moleſtè deijciet, iuxta Hippocratis decretum dicētis, concocta purganda, & non cruda: hæc enim quia non

præparata

præparata licet purgantibus ex cauſis priùs dictis pareant Medicamentis, minùs tamen exactè purgantur propter eorum cruditatem, & naturæ multò maiori incommodo. Qua in re, quantùm facultates purgatorias Galenus obſcurârit, ſatis ex ijs, quæ in libris de ſimplicium Medicamentorum facultatibus pertractantur perſpici poteſt: præſertim ſi ea legantur, quæ ſcribuntur de colocynthide, agarico, veratro, alijſque per excellentiam purgantibus Medicamẽtis: ubi nihil minùs, quàm purgatrices eorum facultates, eſt perſecutus.

CVR aliqua purgantia Medicamenta, non vnum tantùm: ſed multos, & natura diuerſos ſuccos, etiam per excellentiam, purgent à toto corpore.

CAP. XIII.

POSTREMA huius operis parte, ſupereſt, vt demonſtremus, quam ob cauſam vnum Medicamentum, ad ſenſum ſimplex, quamuis ſit natura cõpoſitum: non ſolùm vnum ſuccum, ſed etiam duos, & aliquando tres, natura prorſus diuerſos, etiam per excellentiam à toto corpore trahere, & purgare poſsit. Cuius nulla alia ratio eſſe poteſt, præter qualitatũ, ſiue primarũ, ſiue ab eis procedentium ſecundarum, in vno, & eodem ad ſenſum ſimplici Medicamento purgante complicationem.

Elaterium enim, cyclaminus, ricinus, æſula, quia, præter acrimoniam, quam habent validiſsimam, atque fer uētem, qua ſuccos ſeroſos purgant: non paucam amaræ qualitatis portionem (quæ deterſoria facultate prędita eſt) apertè continent. Qua ratione priùs dicta medicamenta, atque alia, ſimiles qualitates primas, & ſecundas habentia pharmaca, vt vehementiſsimè, ſuæ acrimoniæ cauſa, aquas ſeroſas purgant: ſic inſignis amaritudinis ſuæ, viſcoſum lentorem pituîtæ detergentis auxilio, pituîtam quoque etiam viſcoſam, incidendo, detergēdo, & trahēdo, non ſine perſpicua ratione, purgāt. Coccus prętereà Cnidius, quia valde paucam, vel potiùs nullam habeat amaritudinem: ſed ſolam acrimoniam, eamq; vehementiſsimam, nulla alia qualitate, ſaltem euidenti prępeditam, idcirco, ex cauſis ſuperiori capite explicatis, ſeroſas potiſsimùm aquas purgabit: vt etiam confirmat Græcorum authoritas, & Arabum: niſi forſan acrimonię cauſa, quæ ſola eſt in eo Medicamento vehemens, aliquid quoque nigrę bilis, propter eas cauſas, quas antè diximus, purgare dicatur. Sed pituîtam, certè impenſè viſcoſam, nūquàm purgabit: niſi fortè ſuperpurgando. Agaricus prætereà, quia ſecundum Galenum, ſubamarus eſt, etſi acrimonię quandam ſpeciem temporis interuallo inducat: proptereà ex eius doctrina, quia acrimoniæ, ſaltem inſignis, eſt expers, ſimiliterq; multi caloris, ideo debitè purgatorium ſuapte natura, ſecundum Galenum erit Medicamentum. Cęterùm quia in Agarico aliquam percipimus acrimoniam, amaritudinemque non paucam, cum nauſeabundo quodam, & naturę infeſto nidore:

dore:propterea ipſum Agaricum, eſſe per excellẽtiam purgatorium(ex Galeni doctrina,)exiſtimamus,& bilis ſiue pituitæ variarum qualitatum ſuarum cauſa, partim à ventriculo,& vaſis illi vicinis deterſiuum,& ſubductiuum,partim à toto corpore per excellentiam eductiuum,idq; multò magis,ſi cum Zinziberis aliqua portione(vt priùs docuimus)quod ipſius acrimoniã, ſiue purgatricem facultatem augeat,propinetur. Nigram tamen bilem purgare,vnà cum Paulo Aëtio, & Oribaſio, contra omnem ſcholam Arabicam & ex cauſis priùs dictis inficiamur. Quamobrem ex ijs, quę diximus apparet,quàm difficile ſit Medico,quantumcumque exercito,de Medicamenti quomodocumque purgantis facultate purgatrice ferre iudicium,ex excrementis,quæ per aluum deijciuntur:niſi certa methodo eius rationes à Medicamentorum purgantium temperatura (eo vt dictum eſt modo) manantes, probè intelligat, & cognoſcat.

FINIS.

Lugduni,
Excudebat Mathias Bonhome.